This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

WIDENER LIBRARY
HX J8J7 H

Digitized by Google

Bibliothèque
de Mr le comte Riant

B 5498.1.5

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

VE RI TAS

FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT

MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST

MDCCCC

BOUGHT WITH INCOME OF THE
HENRY L. PIERCE FUND

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANGELI MARIÆ CARD. QUIRINI
BIBLIOTHECARII QUONDAM VATICANI,
ET EPISCOPI BRIXIENSIS,

LIBER SINGULARIS

DE

OPTIMORUM SCRIPTORUM EDITIONIBUS

QUÆ

ROMÆ PRIMUM PRODIERUNT POST
DIVINUM TYPOGRAPHIÆ INVENTUM,
A GERMANIS OPIFICIBUS IN EAM
URBEM ADVECTUM:

PLERISQUE OMNIBUS EARUM EDITIONUM SEU
PRÆFATIONIBUS, SEU EPISTOLIS IN
MEDIUM ALLATIS.

CUM

BREVIBUS OBSERVATIONIBUS AD EASDEM, REI
TYPOGRAPHICÆ ORIGINI ILLUSTRANDÆ VALDE
OPPORTUNIS.

RECENSUIT

ANNOTATIONES, RERUMQUE NOTABILIORUM
INDICEM ADJECIT,

ET

DIATRIBAM PRÆLIMINAREM

DE

VARIIS REBUS, AD NATALES ARTIS
TYPOGRAPHICÆ DILUCIDANDOS
FACIENTIBUS PRÆMISIT

JO. GEORGIUS SCHELHORNIUS.

Impenſis JACOBI OTTONIS,
LINDAUGIÆ M. DCC. LXI.

Digitized by Google

B 3498.1.5

Harvard College Library
Riant Collection
Henry Lillie Pierce Fund
May 7, 1900.

Digitized by Google

Viro illuſtri

DOMINO

JOANNI DE SCHÜTZ

Inclytæ & liberæ S. R. Imp. Civitati

Memmingæ

a conſiliis intimis

reliqua

In patriæ decus & incrementum nato

ac de illa rebus domi foriſque præclare

geſtis eximie merito

& in dies merenti

Juſti atque honeſti aſſertori ſtrenuo

literarum

ac omnium bonarum artium

tutori atque promotori


indulgentiſſimo

Digitized by Google

Mœcenati optimo
hoc quicquid eſt operis
ut ejus veſtibulum
ipſius nomine omni laude majori
auguſtius redderet
& gratum devotumque
pro tot inſignibus favoris atque benevolentiæ
documentis
animum publice teſtaretur
cum pio omnigenæ & perennantis
felicitatis voto
ſacratum cupit
in ipſo devenerando nemini unquam
mortalium conceſſurus
D. Jo. Georgius Schelhornius
Eccl. patriæ Superint.
Imperialis academiæ Roboretanæ
& ducalis ſocietatis Latinæ Jenenſ.
ſodalis.

JO.

Digitized by Google



JO. GEORGII SCHELHORNII
DIATRIBA PRÆLIMINARIS
DE
VARIIS REBUS
AD
NATALES ARTIS TYPOGRAPHICÆ
ILLUSTRANDOS FACIENTIBUS.

Librum hic tibi offero, Lector benevole, non magnum quidem mole, ſed raritate ſua & argumenti jucunditate, ſi quid judico, ſatis ſe inſinuantem, ac ipſo auctoris celſiſſimi nomine ita commendabilem, ut non alia hedera ſuſpendenda opus habere videatur.

Digitized by Google

Acceptus enim referendus eſt indefeſſæ diligentiæ ANGELI MARIÆ CARDINALIS QUIRINI, Bibliothecæ quondam Vaticanæ Præfecti, & Epiſcopi Brixienſis, Viri, dum inter vivos ageret, non natalibus minus & purpura, quam doctrinæ præſtantia & literarum patrocinio eminentiſſimi, cujus benevolentiam & ſummam humanitatem multis modis expertus ipſe ſum, præſertim cum A. MDCCXLVIII. die XIV. Maji in ſplendidiſſimo Monaſterio Ottoburano, nobis vicino, illum coram venerari, ejusque colloquio frui gratioſiſſimo per trium horarum ſpatium mihi datum eſſet (*), licet antea mihi, ab ipſomet in arenam veluti protracto, plus ſemel publice cum illo congrediendum fuerit.

Scripſit eum A. MDCCXL. in comitiis illis Romanis, in quibus a Cardinalibus veteri ritu uni loco, quem *Conclave* nominant, incluſis Benedictus XIV. Pontifex electus eſt, idoneis ſubſidiis ex Bibliotheca tam ſua, quam Vaticana abunde inſtructus, ac appendicis inſtar Pauli II. Veneti Vitæ Vindiciisque adverſus Platinam & alios obtrectatores, Romæ eo ipſo anno typis Antonii de Rubeis apud Pantheon in forma quadrifariam complicata excuſis, ſubjunxit.

Rariſſimus eſt, ac pro inedito ferme, in Germania ſaltem noſtra, habendus, cum ejus exemplaria nunquam venum expoſita, ſed dono tantum a munificentiſſimo Cardinale, qui ſingula opera ſua ſuismet ſumtibus imprimenda curavit, amicis data fuerint (**).

Dignum

(*) Quod ipſe deſcripſit in ſingulari epiſtola ad Sereniſſimum & Reverendiſſimum Principem & Epiſcopum Auguſtanum D. JOSEPHUM ex Landgraviis Haſſiæ publice data A. MDCCXLVIII. d. XII. Jun.

(**) Hinc Davides CLEMENS in præfatione Tom. I. *de la Bibliotheque Curieuſe, Hiſtorique & Critique* p. XII. jure ait: *Les Ecrits du CARDINAL QUIRINI ne ſeront jamais communs, parcequ'il les fait imprimer a ſes depens, & ſe reſerve le plaiſir d'en faire des preſens.*

Digitized by Google

Dignum autem eſſe, qui a multis legatur, rerum intelligentes mecum judicaturos credo. Egregie enim inſervit ad originem & hiſtoriam artis excuſoriæ illuſtrandam, & jucundam nobis notitiam editionum longe rariſſimarum, quæ e primo typographeo Romano Germanorum Artificum Conradi Schwveinheim & Arnoldi Pannarz ab anno MCCCCLXVII. ad A. usque MCCCCLXXII. prodiere, præbet.

Ne autem ego plane ἀσύμβολος recedam, aſſuere illius purpuræ pannum auſus, non quasdam modo annotationes textui ſubjunxi, & in fine rerum memorabilium indicem lectorum commodo adjeci, verum hanc quoque diatribam præmiſi, varias complectentem obſervationes de nonnullis rebus ad natales divinæ artis dilucidandos aſcientibus. En igitur tibi illas, quas ut æqui bonique conſulas, eſt, quod enixe rogito. Scribebam Memmingæ A. R. S. MDCCLX. d. XXIV. Jul.

Digitized by Google

ELENCHUS OBSERVATIONUM.

OBS. I.

De typographia Moguntiæ inventa.

OBS. II.

De Joanne Guttenbergio primo typographiæ auctore.

OBS. III.

De libris, qui typis ſculptis mobilibus excuſi ſunt.

OBS. IV.

De libris, in prima Moguntiæ typographia impreſſis, & vetuſtis quibusdam Miſſalibus &c.

OBS. V.

De Ulrico Zellio, primo typographo Colonienſi.

OBS. VI.

De Conrado Schvveinheim & Arn. Pannarz, primis typographis Romanis.

OBS. VII.

De Ulrico Gallo, ſecundo typographo Romano.

OBS. VIII.

Spicilegium de antiquiſſima & omnium prima Latinorum Bibliorum editione.

OBS.

Digitized by Google

OBS. I.

DE
TYPOGRAPHIA MOGUNTIÆ INVENTA.

Joannes Guttenbergius, primus typographiæ auctor, niſi litibus fuiſſet implicitus forenſibus, divinæ artis origo hodienum denſis offuſa foret tenebris. In jus autem vocatus ille fuit & Argentorati & Moguntiæ. Accuſationum capita, teſtium examina inde enata, & judicum ſententiæ e tabulariorum clauſtris noſtro ævo in publicum feliciter productæ non parum lucis rei antehac opertæ valdeque dubiæ intulerunt.

Quo vero minus in ſuſpicionem incidat Vir optimus, cum utrobique ipſi litigandum fuerit, eum fuiſſe hominem contentioſum & rixarum cupidum, ipſa illa documenta prohibent, e quibus apparet, neceſſitatem, durum illud telum, ipſum invitum in forum pertraxiſſe. Argentorati Georgius Drizehenius, Moguntiæ Joannes Fauſtus ejus fuere accuſatores: Guttenbergius itaque die ſibi dicta non poterat non cauſſam ſuam tueri, quam Argentorati juſtos nactus judices vicit, Moguntiæ iniqua ſententia amiſit.

Illuſtriſſimus Baro SENCKENBERGIUS primus (a) *Laudum* ſive Inſtrumentum publicum ſententiæ judiciariæ inter Jacobum & Joannem Fauſtos ex una parte, & Joannem Guttenbergium ex altera parte, de pecunia in librorum impreſſionem inſumta, Moguntiæ Anno MCCCCLV. d. VI. Nou. latæ, ab Ulrico Ælmaſperger, Clerico Dioeceſeos

(a) Tom. I. Selectorum Juris & Hiſtoriarum p. 269. ſqq.

Digitized by Google

œceſeos Bambergenſis, & Notario publico Cæſareo ac Pontificio conditum ex autographo diuulgavit; e quo Hiſtoricus, dum viveret, celeberrimus, Jo. Davides KOELERUS non tantum Guttenbergio, Nobili Moguntino, inventæ artis typographicæ gloriam vindicavit, ſed & uſurariam Jo. Fauſti, qui litis actor fuit, pravitatem, ac tribunalis Moguntini injuſtitiam in apricum poſuit (b).

Illuſtris vero Vir, Jo. Daniel SCHOEPFLINUS, inter præcipua Germaniæ literatæ lumina ſuo jure referendus, cujus ſcripta, ſingularem facundiam doctrinamque exquiſitam ſpirantia, in deliciis mihi ſunt, non ita pridem novo beneficio, editis nempe *Vindiciis typographicis* elegantiſſimis, orbem ſibi eruditum mirifice devinxit. Inſeruit iis acta quædam authentica, ex turri, quam vocant, nummaria, cimeliorum Argentinenſium cuſtode, bono auſpicio eruta, & antehac nemini comperta, in quibus haud obſcura moliminum Guttenbergii typographicorum exſtant veſtigia, ex illisque collegit, auream artem non Moguntiæ, ſed Argentorati a laudato Guttenbergico eſſe inventam.

Fateor, parum abfuiſſe, quin mihi quoque rem iſtam perſuaſerit Vir diſertiſſimus, niſi ſcrupuli quidam animum meum adhuc ſuſpenſum detinerent, quos hic modeſte in medium proferre per ſummam ejus humanitatem, ſpero mihi licebit.

Cum Guttenbergius duo circiter luſtra, quod nunc ex documentis in lucem prolatis conſtat, Argentorati transegerit, quis dubitet, virum ſolertem & in rebus inveniendis acerrimum in illa jam civitate arti huic inveſtigandæ ſedulo incubuiſſe, viris præſertim probatiſſimis, & partim coævis teſtantibus, ab anno circiter MCCCCXL. quo & aliquot ſequentibus annis in iſta urbe commoratus eſt, ad A. MCCCCL. inventioni ejus, eorumque, quæ ad illam pertinent, operam impenſam fuiſſe, id quod etiam aliquot annis ante factum ibi eſſe, indicio nunc chartarum Argentinenſium docemur. Neutiquam igitur dubito, multa artis

(*b*) *In der Ehrenrettung Johann Guttenbergs.*

Digitized by Google

artis molimina & experimenta facta eſſe Argentorati, eamque operoſe ac varie tentatam, ſed conſummatam demum ac perfectam Moguntiæ arbitror (†).

Etenim ſi primitiæ typographicæ inciderent in annum MCCCCXXXVI. ſubque finem jam anni MCCCCXXXVIII. Guttenbergius Argentorati libros typis ſolutilibus, iisque non tantum ex ligno, verum etiam plumbo ſculptis, excudiſſet (*c*) ac eam artem ibidem cum ſociis plures per annos continuaſſet; ſi omnes illi libri, quos laudatus SCHOEPFLINUS p. 39. ſq. recenſuit, aliique ex prima illius typographiæ Argentinenſis fabrica prodiiſſent, inſigne lucrum inde percipiendum (*) virum optimum, & meliori ſorte digniſſimum haud dubie extra conſtantem debita contrahendi neceſſitatem, cui obnoxius fuit, potuiſſet. Sed longe aliud & plane contrarium docet Formula publica litis inter Guttenbergium & Fauſtum Moguntiæ A. MCCCCLV. dijudicatæ.

Enim vero præterquam quod in ea nullum prorſus librorum jam ante impreſſorum appareat veſtigium, perſpicue potius inde cernimus, ipſum facultatibus ſuis in molimenta typographica impenſis, niſi nobile illud inſtitutum penitus abjicere, magno rei litterariæ malo, voluiſſet, ad ſocietatem cum Jo. Fauſto, viro opulento, A. circiter MCCCCXLIX. vel L. ineundam, ab eoque mille & ſexcentos aureos fœnerandos compulſum ſe vidiſſe, Fauſtumque adeo ab ipſo A. MCCCCLV. ſorte & uſuris

(†) Poterant quædam adhuc deſiderari in prælo ſcite adornando, in typis rite ſculpendis, in neceſſariis inſtrumentis commode fabricandis, in ipſo imprimendi modo, in atramento præſertim typographico, ac fortaſſe in aliis.

(*c*) Vindic. typograph. p. 24.

(*) Ipſius SCHOEPFLINI verba p. 36. ſunt: *Codices impreſſos pro libris manu exaratis quum CARO PRETIO venderent, lucri cupido primos Argentinenſes & Moguntinos typographos induxit, ut artem, quamdiu poſſent, celarent.*

Digitized by Google

uſuris computatis, bis mille & viginti florenos judicialiter exegiſſe, quæ pro illius temporis ratione grandis ſanè fuit pecuniæ ſumma (*d*).

Inſuper in illo inſtrumento forenſi plus ſimplici vice diſerte commemoratur, Fauſtum pecuniam iſtam Guttenbergio ſuppeditaſſe, huncque eam mutuo eum in finem ſumſiſſe, ut perficeret opus librorum (*e*) (*das Werk der Bücher*) ſive artem typographicam. Hinc autem prono fluere alveo cenſeo, artem illam auream antea nondum fuiſſe perfectam, vel, quod idem eſſe reor, inventam.

A libris, quos Cel. SCHOEPFLINUS p. 39. ſqq. recenſuit, argumentum pro typographia Argentorati a Guttenbergio inventa peti non poteſt, cum nullus eorum nota loci ac artificis inſignitus ſit, atque adeo illi eodem jure vel Moguntiæ vel alii civitati adſcribi poſſint, de quo poſtea nobis ſermo erit.

Majoris eſſe momenti videntur, quæ vir laudatiſſimus p. 40. in medium profert: *In his typographicæ artis primitiis loci impreſſionis, artificis, temporisque indicia fruſtra quæruntur. At ſimilis Codex annum impreſſionis præ ſe ferens, in meam denique Bibliothecam devenit, in hoc genere unicus* (*), *cujus Titulus: LIBER DE MISERIA HUMANE CONDICIONIS LOTARII DYACONI SANCTORUM SERGI ET BACHI*

(*d*) De valore pecuniæ ac pretiis rerum illius ævi, cum nondum in Europa tanta eſſet auri argentique copia, cum noſtra tempeſtate comparatis vid. Viri Summi Sam. FORMEY *Nouvelle Bibliotheque Germanique* Tom. X. Part. II. p. 424. ſqq.

(*e*) *damit er das Werk (der Bücher) volnbringen ſolt*, vid. SCHOEPFLINI Vindic. typograph. Cap. III. p. 27. non ut continuaret opus librorum, vel typographiam, tanquam Argentorati jam inventam, prouti Cap. VI. p. 70. hæc verba reddidit, ſed ut perficeret.

(*) Ejus quoque exemplar aſſervari in Bibliotheca publica Windsheimienſi, didici ex Novæ Bibliothecæ Halenſ. (*Neue Biblioth.*) Partic. XC. p. 845. Aliud exſtare in Bibliotheca Academiæ Georgiæ Auguſtæ, nuper tabulæ novorum literar. Gœttingenſ. nunciarunt.

Digitized by Google

Fig: I. ad pag. 8.

et labor · ardor et fetor · obſcuritas et anxie
tas · acerbitas et aſperitas · calamitas et egeſ
tas · anguſtia et triſticia · oblivio ⁊ ↄfuſio · tor
tiones et punctiones · amaritudines et terro
res · fames et ſitis · fumus · ſulphur · ignis ar
dens in ſecula ſeculorū · Unde nos liberet de⁹
nr̄ q̄ benedict⁹ ē p infinita ſecula ſeculoꝝ Amē

Explicit Innocēcius
De miſeria humane
condicionis · laudetur
deus eternaliter

a.I.D. c.L.D.

Digitized by Google

BACHI CARDINALIS, QUI POSTEA INNOCENTIUS TERTIUS APPELLATUS EST. ANNO DOMINI MCCCCXLVIII. Opuſculum foliis XLVIII. *conſtans, forma in 4to Innocentius III. a 1216. jam obiit. Annus ergo rubricæ inſertus nonniſi ad impreſſionis tempus poteſt referri. Typographicum ſphalma non ſine gravi ratione imputandum eſt libro.*

Sed concedamus pauliſper, typographicum ſphalma haud eſſe in anni numero commiſſum (**), nihil tamen inde pro Argentorato conficitur, cujus civitatis nomen nusquam comparet. Solebant interdum librarii adjicere deſcriptionis annum Codicum vel coronidi vel titulo, quem fortaſſis ad archetypum ſuum, hac anni nota haud reſecta, itidem effinxit typographus.

Quodſi vero anno 1448. editionis tempus deſignaretur, libellum tamen Moguntiæ, non Argentorati, niſi Guttenbergio illum abjudicare, & alii, neſcio cui, adſcribere velis, prodiiſſe dicendum foret, cum ipſemet SCHOEPFLINUS Guttenbergium jam anno 1445. Argentorato diſceſſiſſe fateatur, mihique, anno illum 1448. Moguntiæ habitaſſe, exploratum ſit, quod ſuo loco demonſtrabo.

Quo minus autem perſuaderi mihi ſinam, libellum iſtum A. MCCCCXLVIII. eſſe impreſſum, vetat teſtimonium Ulrici Zellii, Guttenbergii diſcipuli, qui, vetuſto Chronographo Colonienſi narrante (†), Biblia Latina typis miſſalibus circa A. MCCCCL. exſcribi

B coepta

(**) Licet multis exemplis conſtet, crebro erratum eſſe in annis editionis Librorum deſignandis. vid. MAITTAIRE Annal. typ. T. I. p. 2. ſq. edit. II. Proſp. *MARCKARD Hiſtoire de l'Imprimerie* p. 113. ſq. *CHEVILLIER l'Origine de l'Imprimerie de Paris* p. 10. ſq. v. 2. *LOESCHERI* Stromat. p. 142. ſq.

(†) **Cronica van der billiger Stat van Coellen**, fol. 112.

Digitized by Google

cœpta omnium primum fuiſſe typographiæ fœtum aſſeruit (††). De alia antiquiſſima ejusdem libelli, pariter characteribus ſculptis verſatilibus excuſi, editione, meis oculis ſubjecta, deinde mentio occurret.

Hoc vero potiſſimum ab aſſenſu me retrahere fateor, quod Moguntini typographi frequenter in oculis omnium, nemine reclamante, ſuæ civitati inventæ artis gloriam diſerte in librorum ſuorum ſubſcriptionibus vindicarint, ſæpe repetitis vicibus (†††) confidentiſſime ac in totius orbis Chriſtiani veluti conſpectu Moguntiam artis impreſſoriæ inventricem, elimatricem, ac illuminatricem primam appellitantes, aſſerentesque, Deum illam civitatem tam alti ingenii lumine donoque gratuito cæteris terrarum nationibus prætuliſſe & illuſtraſſe, ut ibi artificioſa quadam adinventione libri excuderentur.

Ex formulis autem illis, toties publice repetitis, palmarium pro typographia Moguntiæ inventa contra Argentinenſes argumentum non inſcite produci cenſeo. Licet enim haud negaverim, Fauſtum geſtaſſe aſtutam vapido ſub pectore vulpem, iisque hunc fortaſſis in finem callide uſum fuiſſe, quod lectores ita ratiocinaturos eſſe facile præviderit: ſi Moguntia typographiæ prima inventrix eſt; ſi Fauſtus typographica nova arte primus impreſſit, Fauſtus dicendus eſt typographiæ inventor (*). Sufficit tamen, quod formulis illis nihil falſi, ſed veritatem profeſſus

(††) Sic primum etiam inter impreſſos libros locum Bibliis Latinis tribuit Vir magni nominis, qui plurimas bibliothecas perreptavit, ac tot ſuæ ætatis viros doctos in itineribus ſuis convenit, Abbas TRITHEMIUS in Annalibus Hirſaugienſibus Tom. II. p. 421. edit. Sangall. Conf. Andr. *CHEVILLIER de l'Origine de l'Imprimerie* Part. I. Cap. I. p. 8. & Cap. V. p. 74. ſq. ac quæ hanc in rem in mea de antiquiſſima Latin. Bibl. editione Diatriba diſſerui.

(†††) idque ab A. MCCCCLX. quo CATHOLICON prodiit, ad annum usque MCCCCXCII. quo Chronicon Saxonum, **Chronick der Saſſen**, excuſum eſt.

(*) Vindic. typogr. Cap. VI. p. 65. ſq.

Digitized by Google

profeſſus fuerit, etſi culpandus ſit, quod ſimul vera, quæ non reticere debuerat, reticuerit, inventæ nempe in urbe Moguntina artis gloriam Jo. Guttenbergio, non ſibi, adſcribendam eſſe (**).

Quis vero facile ſibi perſuadeat, Argentinenſes typographos, Eggeſteinium, Mentelium, aliosque, ſi de hujus aſſertionis, Moguntiam ſcilicet divinæ artis inventricem eſſe, falſitate fuiſſent convicti, ac gloriam hanc civitati ſuæ deberi perſuaſi, ſine ulla contradictione oſcitanter quieturos, ac honorem illum patriæ ſuæ a vanis jactatoribus toties impune eripi paſſuros fuiſſe? Nunquam autem primi Argentinenſes typographi in librorum ſuorum ſubſcriptionibus (***) artis inventæ gloriam civitati patriæ adſcripſerunt: nunquam Moguntinis,

(**) Interim tamen, judice SCHWARZIO Part. II. Document. de origine typogr. p. 46. iſto ſilentio aut præteritione laudem inventionis haud in univerſum Guttenbergio denegaſſe aut derogaſſe cenſendus eſt; cum, quod quis ſilentio præterit, non illico negaſſe exiſtimandus ſit, ſi maxime præteritionis & ſilentii probabilis quædam ratio appareat, quam in odio, ex diſſidio mutuo enato, quærendam eſſe exiſtimat. Quia vero nunquam ſibimet ipſi Fauſtus inventæ artis laudem diſertis verbis tribuit, non habuit Guttenbergius, quod ipſi reclamaret: cui etiam occaſio ſibi honorem illum publice aſſerendi defuiſſe videtur, cum nihil hactenus explorate cognitum ſit, quod ejus typis exſcriptum ab A. 1457. in lucem prodierit. Contra priſcis Argentinenſibus typographis frequens in promtu erat occaſio, vel in ſubſcriptionibus vel præfationibus ſuorum librorum Moguntinis incutiendi pudorem, ac eorum gloriationem, ſi vana & mendax fuiſſet, ſtrenue redarguendi, honoremque ſibi præreptum confidenter tuendi. Sed illi ne verbulum quidem unquam Moguntinis repoſuerunt: Hic igitur etiam valet tritum illud diverbium. *Qui tacet, conſentire videtur.*

(***) Licet ipſe SCHOEPFLINUS fateatur, Henricum Eggeſteinium in ſubſcriptione Decreti Gratiani, quod primum fuit opus cum anni, loci & typographi indicio A. 1471. Argentinæ impreſſum, ſtylum ex rubricis finalibus Moguntinis deſumſiſſe, in Vindic. typogr. p. 44.

Digitized by Google

tinis, illum honorem ſuæ urbi audenter vindicantibus, contradixerunt.

Iure igitur C. G. SCHWARZIUS, Vir, dum viveret, harum rerum intelligentiſſimus (****): "Quis, quæſo, credat homines iſtos, „Fauſtum nempe & Schoifferum, tam audaces, tamque impudentes „fuiſſe, ut aliquid publice profeſſi fuerint, quod falſum fictumque, & „omni veritate fuiſſet deſtitutum? Imo, quis credat, neminem iſtis „temporibus extitiſſe, ſi quidem alius prærogativæ, aut certioris veri„tatis, ſibi fuiſſet conſcius, qui non ſuum ſibi jus aperte vindicaſſet, „ac tam vanæ gloriationi Moguntinorum interceſſiſſet, aut ſemel dun„taxat publice reclamaſſet? Hinc bene KRANZIUS, in memorabili„bus Biblioth. publ. Wratislau. p. 74. de hujusmodi veterum librorum „ſubſcriptionibus, & teſtimoniis Petri Schœfferi: *Hæc*, inquit, *quam„vis domeſtica dici poſſint teſtimonia; vix tamen credibile eſt, auſum fu„iſſe Petrum Schoifferum, in re adeo recente, & in omnium oculis ver„ſante, ambitioſe mentiri; nec hoc aliis quieſcentibus impune feciſſet.* „Certe nullum ſimile exemplum reperitur, ubi alius quis, illis ipſis „temporibus, prærogativam & laudem inventionis typographiæ ſibi „tot publicis documentis vindicaſſet.

Nec vero Joannes tantum Fauſtus ac Petrus Schoiffer, hujusque filius Joannes, Fauſti ex filia Chriſtina nepos, inventæ typographiæ gloriam Moguntiæ tribuerunt, ſed etiam Jacobus Meydenbach in ſubſcriptione *Horti Sanitatis* ibidem A. 1491. impreſſi, in nobiliſſima illa civitate artem & ſcientiam ſubtiliſſimam characteriſandi ſeu imprimendi fuiſſe primum inventam aſſerens; qui veram hujusce rei notitiam habere potuit a Joanne Medinbach, vel parente, vel agnato, illorumque uno, quorum auxilio Guttenbergius, cum omnem ſubſtantiam ſuam propter artis difficultatem fere profudiſſet, adjutus tandem Moguntiæ rem perfecit, teſte Nicolao SERRARIO ex Codice MS.

(****) l. c. p. 49.

Digitized by Google

MS. Sebaſt. MUNSTERO in Coſmographia, & Melchiore ADAMI in vita Guttenbergii (*f*).

Notatu quoque dignum eſt, ipſam Argentinam quodammodo in hac cauſa ſuffragari honori Moguntiæ. In illa enim civitate duæ ex officina Johannis Pryſſ prodiere Faſciculi temporum Werneri ROLEVINCKII, Monachi Carthuſienſis, & auctoris coævi editiones A. 1487. & 1488. In hoc autem libro ad annum 1457. hæc leguntur verba. *Librorum impreſſionis ſcientia ſubtiliſſima omnibus ſeculis inaudita circa hæc tempora reperitur in urbe Moguntina. Hæc eſt ars artium, ſcientia ſcientiarum* &c. (*g*)

Calculum igitur meum, donec memorati ſcrupuli mihi eximantur, adjicio τῶ πάνυ Godofr. Guilielmo LEIBNITIO, immortalis memoriæ Viro, qui pro incredibili, qua polluit, ingenii perſpicacia rem acu tetigiſſe videtur, ſententiam ſuam in Anti-Plagiario adhuc inedito (*h*), ita exponens: „Probabile videtur, Jo. Guttenbergium, „virum patricium ex nobili gente Zum Jungen ſeu Jungiorum, quæ „nunc quoque Francofurti floret, primas artis typographicæ cogita„tiones animo concepiſſe, & Argentorati agitare cœpiſſe, ſed Mo„guntiæ demum perficere potuiſſe, adjutore Jo. Fauſto, Moguntino, „& genero Fauſti, Petro Schœffero Gerneshemenſi. Fieri poteſt, ut „Jungio (vel Guttenbergio potius), in urbe Argentoratenſi hæc ver„ſanti, aſtiterit Mentelius ille Argentoratenſis.

(*f*) vid. Documenta Kœleriana p. 65.

(*g*) conf. KOELERUM l. c. p. 59. & SCHWARZII Documenta de Origine typographiæ Part. III. p. 35. ſqq. ROLEVINCKIUS, Monachus Carthuſienſis domus S. Barbaræ in civitate Colonienſi, natus A. 1425. hujus rei notitiam haud dubie accepit ab Ulrico Zellio, primo typographo Colonienſi, quocum in una eademque urbe longo temporis ſpatio habitavit.

(*h*) vid. SCHOEPFLINI Vindic. typogr. p. 75.

Digitized by Google

OBS. II.

DE

JOANNE GUTTENBERGIO PRIMO TYPOGRAPHIÆ AUCTORE.

Maxime dignus eſt Guttenbergius, cujus res, quantum fieri poteſt, enixa diligentia excutiantur, cum id ad natales incomparabilis artis magis magisque dilucidandos egregie inſerviat. Dabimus igitur & nos operam, ut hiſtoriam viri eximii ab Jll. SCHOEPFLINO expoſitam ex idoneis documentis paululum illuſtremus & amplificemus.

A. MCCCCXXX. patre mortalium cœtui exemto, illum Moguntia diſceſſiſſe, ex diplomate Conradi III. Electoris Moguntini (*k*) liquet. Argentorati vero eum A. MCCCCXXXIV. habitaſſe, SCHOEPFLINUS primus nos docuit (*l*). Eo enim anno Nicolaum Archigrammateum Moguntinum cepit, ex captivitate non dimiſſurus hominem, niſi poſtquam trecentos & decem florenos Oppenhemii ante proximum feſtum Pentecoſtes ſe depoſiturum jurejurando promiſiſſet, ob annuos reditus a Moguntinis diu jam ſibi non perſolutos. A magiſtratu autem Argentinenſi perſuaſus, facile in illius honorem absque ulla conditione virum dimiſit, atque promiſſis ab eo extortis renunciavit, teſtantibus literis die dominica poſt feſtum Gregorii Papæ exaratis (*m*).

Ubinam

(*k*) Quod KOELERUS in appendice Vindiciarum Guttenb. p. 67. ſqq. exhibuit.

(*l*) In Vindic. typogr. pag. 17.

(*m*) Quæ primum occupant locum inter documenta Vindiciis typographicis adjecta p. 3. ſq.

Digitized by Google

Ubinam Guttenbergius interjecto ab A. MCCCCXXX. ad A. XXXIV. tempore verſatus fuerit, neſcitur. Probabile eſt, virum juvenem excitati ingenii atque artium indagandarum cupidiſſimum itinera ad exteros inſtituiſſe, tandemque ſedem Argentorati fixiſſe. Cum ipſi plurium annorum cenſus Moguntini debuerint, plures quoque eum per annos Argentinæ jam habitaſſe, laudatus quidem SCHOEPFLINUS infert (*n*). Sed, ſi quid judico, id hinc neceſſario non ſequitur. Hoc ſolum eſt indubitatum, A. 1434. eum Argentorati degiſſe.

Bellum quidem aperte indixiſſe patriæ ſuæ, & animum a redeundo alienum prodidiſſe videbatur Guttenbergius, ſed brevi illud amice fuit compoſitum. Cum enim A. 1434. die dominica poſt feſtum Gregorii, quod in duodecimam Martii diem incidere ſolet, placide Nicolaum civitatis Moguntinæ ſcribam, dimiſiſſet, eodem ſtatim anno Dominica proxima poſt Urbani diem, quæ in vigeſimam quintam menſis Maji cadit, controverſiam illam cum bona gratia tranſactam, certosque cenſus annuos ipſi promiſſos fuiſſe, charta Moguntina docet (*o*).

Interjecto deinde tempore acciderunt ea, quæ SCHOEPFLINUS de molitionibus typographicis, aliisque longo ordine ex actis Argentinenſibus refert (*p*).

An. 1441. a noſtro Rudigerum Landekium ejus cognatum rite accepiſſe, quæ ipſi a defunctis parentibus hereditate obvenerunt, apocha judicis Moguntini feria quarta proxima poſt feſtum epiphaniæ Domini conſuetis formulis concepta teſtatur (*q*).

Tandem vero A. MCCCCXLIII. animum in patriam remeandi non modo aperte prodidit, ſed reapſe Moguntiam reverſus, domum *Zum Jungen*

(*n*) Vind. typ. p. 16.

(*o*) Vid. Documenta Kœlerianis Vindiciis addita p. 82. num. 16.

(*p*) In Vindic. typogr. p. 17. ſqq.

(*q*) Vid. Docum. Kœl. p. 82. num. 18.

Digitized by Google

Jungen annua decem aureorum mercede (*r*) ab affine ſuo *Ort Zum Jungen* (*s*) in tres annos conduxit, dimidiamque annui cenſus partem ſtatim, die Apoſtolorum Simonis & Judæ memoriæ dicata, vigeſima octava ſcilicet Octobris, perſolvit. Hanc pactionem deinde in plures annos renovaſſe videtur, cum TRITHEMIUS ex ipſius Petri Schoefferi relatione commemorarit (*t*), in domo *Zum Jungen* typographiam eſſe inventam, quæ propterea deinceps *Impreſſoria* nuncupata ſit, id quod Nicol. SERRARIUS etiam ex Codice MS. confirmat (*u*). Hinc ergo in propatulo poſitum eſſe exiſtimo, quo ſe, Argentorato diſcedens, contulerit Guttenbergius (*x*).

Nomen quidem ejus adhuc occurrit in Rationali vectigalis obolarii civitatis Argentinenſis An. MCCCCXLIV. die Gregorio ſacra, XII. nempe menſis Martii (*y*). Videtur igitur in principio ultro citroque commeaſſe, ut Argentorati res domeſticas legitime componeret, & Moguntiæ ſtabiliret. Ex operis autem, qui volebant, ſecum duxiſſe illum, quis ambigat?

Ab iſto tempore domicilium in urbe eum patria collocaſſe ex chartis Moguntinis colligo. An. enim MCCCCXLV. die Mercurii ante feſtum paſchale ibi in quadam cauſa fuit teſtis (*z*).

An. MCCCCXLVIII. proxima die dominica poſt feſtum epiphaniæ prædium aliquod hereditarium, Lauffenberg dictum, Moguntiæ acqui-

(*r*) Vid. Documenta Kœleriana pag. 67.

(*s*) Fuiſſe hunc Guttenbergii noſtri affinem, patet ex documento Kœleriano p. 82.

(*t*) In Annal. Hirſaugiens. Tom. II. fol. 421.

(*u*) Rerum Moguntiac. Lib. I. Cap. XXXVIII. ſub finem.

(*x*) SCHOEPFLINUS contra p. 27. *Guttenbergius*, ait, *quo ſe contulerit Argentorato diſcedens, nulli ſcriptores, nulla acta nos docent.*

(*y*) Vid. Documenta Vindiciis typogr. annexa. p. 41.

(*z*) Vid. Documenta Kœleriana p. 82.

Digitized by Google

acquiſivit, cujus rei teſtes erant Joannes Fuſt & Petrus *van Aiche* (*a*). Jam igitur tunc cum Joanne Fauſto fuit ipſi conſuetudo.

An. MCCCCL. d. XII. Jan. ibidem quandam vini generoſi portionem pro certa pecuniæ ſumma ſingulis annis ſibi ſuisque ſubminiſtrandam emit. In ſyngrapha hanc in rem ſcripta (*b*) uxor & filia ejus commemorantur, quarum utraque Catharinæ (*Ketgin*) nomen gerebat. Hinc apparet, Annam primam ejus conjugem, quam Argentorati duxerat, jam ad plures abiiſſe, eumque non fuiſſe improlem (*c*).

Circa hunc annum MCCCCL. tandem Guttenbergius, Deo proſperante, poſt tot operoſa tentamina & molimenta pervenit ad metam, artemque auream, excogitatis feliciter & fabricatis neceſſariis inſtrumentis, invento item oleoſo & tenaci atramento, ſcite perfecit, ac codicem ſacrum characteribus miſſalibus, ex ligno ſculptis, teſte oculari Ulrico Zellio, excudere cœpit.

Epocham matricum inventarum in illo temporis ſpatio, quo Guttenbergii cum Fauſto ſocietas duravit, adeoque inter A. 1450. & 1455. ponendam eſſe SCHOEPFLINUS cenſet (*d*). Ego autem, pace Viri eruditiſſimi, hanc inventionem malim in annum circiter 1458. vel 1459. quo prodiit Guil. DURANDI Rationale divinorum officiorum, primus liber mobilibus typis fuſis, artificum nominibus & anni nota additis, impreſſus (†) referre.

C Nam

(*a*) l. c. p. 82. ſq.
(*b*) l. c. p. 83.
(*c*) vid. Schœpflini Vindic. typogr. p. 78.
(*d*) in Vindic. typogr. p. 33.
(†) De hoc DURANDI Rationali & matricibus a Schoiffero inventis in Diatriba mea p. 35. ſermonem faciens, dixi, hoc eximio invento ſublatum fuiſſe typorum ligneorum mobilium uſum: nunc alia edoctus moneo, de Moguntina Fuſti & Schoifferi officina potiſſimum id intelligendum eſſe. Guttenbergianos enim diſcipulos aliquamdiu adhuc typis ſculptis verſatilibus fuiſſe uſos, ex obſervatione ſequenti pateſcet.

Digitized by Google

Nam ſi intra illud tempus matrices jam fuiſſent excogitatæ, cur, quæſo, Pſalterium A. 1457. non typis fuſilibus, ſed ligneis excuderunt Fauſtus & Schœfferus? Cur per integrum luſtrum nullum librum hujusmodi characteribus impreſſerunt, ut novum illud inventum incomparabile orbi oſtentarent, homines gloriæ cupidiſſimi? Cur miniſtri Guttenbergii lite A. 1455. inter Jo. Fauſtum & dominum ſuum infeliciter terminata, aliorſum Moguntia digreſſi eximio hoc novo invento haud uſi ſunt, ſed typos ſculptos, moleſtiores ſane fuſilibus ac minus elegantes, retinuerunt?

A. MCCCCLV. cum, lite injuſte deciſa, Fauſtus apparatum infelicis Guttenbergii typographicum ſibi oppignoratum ad ſe rapuiſſet, hunc juſto dolore tædioque motum exiviſſe Moguntia, ſunt, qui exiſtiment (*e*). Quod ſi verum eſſet, factum id haud dubie foret inter primos exulcerati animi impetus, nulla longiori mora interpoſita. Sed reclamat documentum Moguntinum, e quo intelligimus, teſtem illum, decem interim menſibus præterlapſis, in quadam cauſa fuiſſe Moguntiæ A. 1456. die nativitatis Mariæ, quæ in octavam menſis Septembris cadit (*f*). Reliquum itaque temporis ad annum usque 1465. quo ab Adolpho, Electore Moguntino, inter Aulicos cum annuo ſtipendio fuit receptus, imo ad annum usque 1467. vel 1468. quo mortem obiit Vir immortalitate dignus, etiam in patria eum civitate tranſegiſſe opinor, donec ex idoneis monumentis probetur contrarium.

OBS.

(*e*) vid. Document. Kœler. p. 83.

(*f*) vid. l. c. p. 39. & SCHWARZII Document. Part. I. p. 29.

Digitized by Google

OBS. III.

DE
LIBRIS, QUI TYPIS SCULPTIS MOBILIBUS EXCUSI SUNT.

Societate inter Guttenbergium & Fauſtum A. MCCCCLV. infeliciter rupta, illoque apparatu typographico, quem tot annorum labore, vigiliis ac ſudore, tantisque ſumtibus inſtruxerat, miſere ſpoliato ex operariis & tyronibus ii, qui præcipue ab ejus partibus ſtabant, in alias civitates, rei indignitate moti, dilapſi eſſe videntur, quorum unus procul dubio fuit Ulricus Zellius, Hanovienſis, Coloniam digreſſus, quem KOELERUS in ipſa Guttenbergii officina artem excuſoriam didiciſſe conjectura haud inani (g) cenſet, ſiquidem alias in ſua relatione, a Chronographo Colonienſi literis conſignata (h), Joannis etiam Fauſti & Petri Schoifferi mentionem habiturus fuiſſet. Ab his igitur in varias Germaniæ urbes propagata eſt ars a Guttenbergio inventa, libros typis ſculptis iisque mobilibus excudendi.

Cave enim, credas, eam in una tantum civitate Argentinenſi fuiſſe exercitam. Nam ſunt mihi in manibus, & verſantur ante oculos haud pauci libri, illiusmodi typis exſcripti, qui partim in bibliotheca noſtra publica, partim in mea exſtant, quidam Coloniæ, Spiræ, Ulmæ, Auguſtæ Vindelicorum, ac in Villa Beronenſi, in pago Ergoviæ ſita, quidam ſine loci & anni indicio excuſi, jamque recenſendi, ita quidem, ut agmen ducant, in quibus loci, artificis ac anni notam fruſtra quæras, hos vero deinde excipiant illis indiciis inſtructi.

C 2 In

(g) l. c. p. 45.

(h) *Chronika van der hilliger ſtat van Cœllen* A. 1499. excuſa Coloniæ f. 312.

Digitized by Google

I.
In Folio.

1. „FRANCISCUS PETRARCHA de remediis utriusque for-„tunæ. Charactere minutulo. In fine: *Laus Deo Pax vivis Requies eterna defunctis.*

Signum chartularii, in quibusdam aliis etiam, a nobis recenſendis, conſpicuum, eſt caput bubulum, cujus inter cornua ſtella perticæ impoſita prodit. Inter artis adhuc mancæ indicia referendum, quod in Lib. I. Cap. LXIV. de aviariis, avibusque loquacibus & canoris fere ad finem vergente textus in linea nona paginæ abruptus eſt, his verbis non calamo, ſed typo appoſitis: *Vacat nec vicio nec defectu.* Deinde in nova pagina ſermo continuatur verbis cum priori textu cohærentibus: *captamque ibi & Romam delatam.* Idem in ejusdem libri Cap. LXXXIX. factum eſt, ubi poſt lineam decimam tertiam charta vacua relicta hæc verba typis expreſſa leguntur: *Vacat nec vicio nec defectu. Sequitur E. Carcere &c.*

2. „Legenda Sanctorum, alias Lombartica hyſtoria, quam „compilavit frater JACOBUS nacione JANUENSIS Ordinis fra-„trum predicatorum.„ Formæ maximæ.

Idem ſignum chartarii. Præter punctum & ſignum exclamandi, in ſingulis fere periodis, locis minus congruis, obvium (*) nullæ adſunt diſtinctiones. Sub calcem hæc manu adſcripta ſunt: *Anno Domini M. CCCC. LXXV. emi hanc Lombardicam pro precio III. floren. Rhen. computata religatura & rubricatura. Et ego frater Petrus Miete*

(*) Signis exclamandi uſus etiam eſt loco colorum & ſemicolorum Petrus Schoiffer Moguntiæ in editionibus Valerii Maximi A. 1471. Decreti Gratiani A. 1472. Libri VI. Decretalium A. 1473. aliisque.

Digitized by Google

Miete de CAPRARIIS in Decretis Licent. Preceptor Domorum S. Antonii in Memmingen & Montiſpeſſulani legavi juveni Georio Ramſalv ut vita ſua comite uti poſſit ſi ſaltim ſtudio velit inſiſtere, & poſt deceſſum revertatur domui mee in Memmingen & reponatur cum aliis libris in Libraria nova, nec alienare valeat. DE CAPRARIIS. Hic Petrus Miete de Caprariis primus bibliothecæ noſtræ publicæ ſtator fuit.

3. „Incipit Dyalogus qui vocatur Scrutinium Scripturarum compoſitus per Reverendum Patrem Dominum PAULUM DE SANCTA „MARIA Magiſtrum in Theologia Epiſcopum Burgenſem Archicancellarium ſereniſſimi Principis Domini Regis Caſtelle & Legionis quem „compoſuit poſt additiones poſitas ad Poſtillam Nicolai DE LYRA „Anno Domini M. CCCC. XXXIIII. etatis ſue anno LXXXI.

In hac antiquiſſima editione nulla plane diſtinctio præter punctum occurrit.

4. „Tractatus peroptimus de animabus exutis a corporibus editus a fratre Jacobo Doct. Ordinis Carthuſiens. Erdfordie.„

Haud Erfordiæ librum hunc impreſſum eſſe, ſed locum, ubi tum Jacobus ille Carthuſienſis commoratus fuit, indicari exiſtimo. FABRICIUS (*i*) inter plurima ejus ſcripta hujusce opellæ non meminit.

5. „Incipiunt Sermones notabiles & formales per eximium Dominum Doctorem ſacre theologie Patrem JACOBUM CARTUSIENS. domus extra muros Erfordenſ. vicarium de precipuis feſtivitatibus celebribus per anni circulum tam de tempore quam de Sanctis „auctoriſati per Dominum Papam Calixtum tercium anno ſuo primo „in octavo viſitationis Marie glorioſe virginis. Anno Domini „MCCCCLV.

C 3 Hic

(*i*) in Biblioth. mediæ & infimæ Latinitatis Vol. IV. p. 17. ſqq.

Hic itidem ac in Tractatu præcedente nulla diſtinctio, ſi punctum excipias, obvia. Eadem verba ſub calcem leguntur, ita tamen, ut loco vocis *Incipiunt*, poſitum ſit, *Explicìunt*. Poſſedit etiam hujus editionis exemplar Altdorfinæ quondam Academiæ decus, C. G. SCHWARZIUS, qui part. IV. Indicis librorum quorundam ſub incunabula typographiæ impreſſorum p. 82. de illa ita diſſerit: „Ita mihi „hic liber oblatus eſt, tamquam ex præmiſſis verbis A. 1455. impreſ„ſus, quamvis ipſe fatear, non ſequi, ut, quo anno liber iſte ap„probatus fuerit a Papa, eodem etiam impreſſus ſit a typographo. „Interim intuenti facile patet, hoc ipſum exemplar prope abeſſe a „primordiis typographiæ. Tam rudes enim adhuc tamque inæquales & „ſibi ubique diſſimiles vacillantesque ſunt typi, ut & typographi pe„riti, qui contemplati ſunt, cenſuerint, hos typos non ex aere fuſos, „ſed ex ligno formatos fuiſſe; cum tamen fuſis, adeoque magis æqua„libus typis, Jo. Fauſt & Petrus Schœffer jam anno 1459. Durandi „rationale officiorum divinorum expreſſerint. Non loquor de inte„gris formis tabulisque ligneis, Coſteriano modo expreſſis; ſed de „ſingularum litterarum typis mobilibus, nondum ex ære fuſis, ſed ex „ligno formatis. Unde accidit, ut, quotiescunque v. g. *i* in una „eademque pagina vel tricies occurrat, toties accurate conſideranti „non ex omni parte ſibi ſimilis videatur.

6. „Epiſtola beati Euſebii ad Damaſum Portunenſem Epiſco„pum & ad Theodomum (*ſic*) Senatorem Romanum de morte glo„rioſi Hieronimi Doctoris eximii. Epiſtola Cirilli Archiepiſcopi ad „beatum Auguſtinum Epiſcopum de miraculis glorioſi Hieronimi nec „non & de morte Euſebii diſcipuli ſancti Hieronimi.

7. „Liber Dialogorum b. GREGORII ad Petrum Diaconum „ſuum.

Hujusmodi editioni Dialogorum Gregorii antiquæ in Bibliotheca Pembrokiana, teſte Palmerio (*), exſtanti, impoſtor quidam ſub calcem

(*) *General Hiſtory of Printing* &c. Lond. A. 1733. p. 299.

calcem rubro colore hæc verba adſcripſit: *Preſens hoc opus factum eſt per Johann. Guttenbergium apud Argentinam Anno Milleſimo CCCCLVIII.* Quam fraudem juſte redarguit Jll. SCHOEPFLINUS (**). De alio hujusce generis exemplari, quod ex typographia initio ſecreta Jo. Fuſti circa A. 1456. vel 1457. prodiiſſe in Biblioth. Anonym. Part. I. p. 239. dicitur, erudite diſſeruit Dav. CLEMENS Tom. IX. *de la Biblioth. cur. hiſt. & crit.* p. 275. ſqq. ubi ipſa verba PALMERII recitat. conf. *Nouvelle Biblioth. Germanique* Tom. X. p. 453.

8. „Concluſiones de diverſis materiis moralibus utiles valde poſite per Magiſtrum Johannem de Gerſona Doctorem eximium in „theologia ac Cancellarium eccleſie beate Marie Paryſienſis.

9. „Albertus Magnus de arte intelligendi, docendi & predi„candi res ſpirituales & inviſibiles per res corporales & viſibiles, & e „converſo pulchra & utiliſſima.

In Quarto.

10. Sifridi Epiſcopi Cirenſis ad Theodoricum Archiepiſcopum Mogun„tinum Determinatio duarum queſtionum. Utrum Princeps Ca„tholicus preſertim eccleſiaſticus poſſit Judeos bona conſcientia ad ex„ercendum publice uſuram protegere & manutenere in terra ſua. Se„cundo utrum Princeps poſſit ob bonum conſervationemque principa„tus ſui juſte liberum inhibere ſubjectis contractum matrimonii. Ejus„dem Reſponſio ad quatuor queſtiones primo an liceat abſolucionis be„neficium impendere, & eucariſtie ſacramentum miniſtrare illi, qui Judeo „de uſuro duntaxat viventi ſuam locavit domum &c.

11. „M. T. Ciceronis Officiorum Libri Cato major, Lælius & „Paradoxa.

In

(**) in Vindic. typogr. p. 40. ſq.

Digitized by Google

In hac editione diphthongi per unam litteram ex duabus coalitam ſunt expreſſæ. Sub finem Officiorum & Paradoxorum eadem carmina exſtant, quæ haberi in editione per Jo. Fuſtum & Petrum Schoifferum Moguntiæ A. 1465. curata, MAITTAIRIUS Annal. typogr. Tom. I. p. 274. teſtis eſt.

12. „M. T. Ciceronis de finibus bonorum & malorum Li„bri V.

13. „Hyſtoria Trojana DARETIS FRIGII.

14. „Prologus Lotharii poſtea Pape Innocencii tercii, qui fuit „Lucerna juris & Doctor doctorum in librum ſequentem. (nempe de miſeria humanæ conditionis).

In hoc libello haud aliæ adſunt diſtinctiones, quam aſteriſci illi informes, quorum ſpecimen vides in ejus coronide, quam æri incidendam curavimus. Chartularii ſignum eſt caput bubulum, e cujus fronte ſurgit vel linea, vel pertica, ſuperne ſtella ſignata. Iſthæc autem editio extremam antiquitatem redolet.

15. „Vita Udonis Epiſcopi.

Hic libellus ex eadem officina prodiit. Eaedem diſtinctiones, eadem ſummæ antiquitatis indicia.

16. „Tractatus de Symonia Magiſtri JOHANNIS GERSON „Cancellarii Pariſienſis. Ejusd. Tractatus de probatione ſpirituum. „Ejusd. Tr. de remediis contra recidivum peccandi a confeſſoribus „dandis.

17. „Ejusdem nobilis queſtio de cuſtodia lingue a corde bene „ruminanda.

18. „Ejusdem Concluſiones de diverſis materiis moralibus.

19. „Ejusd.

Digitized by Google

19. „Ejuſd. Tractatus de paſſionibus anime.

Ejuſd. Tract. de modo vivendi omnium fidelium.

Libelli hujus pag. 6. bis impreſſa eſt per typographi inadvertentiam. Præterquam enim quod ſuo loco in contextu occurrit, appreſſa quoque eſt ultimæ paginæ libri de paſſionibus animæ.

20. „Ejusdem opuſculum tripartitum de preceptis Decalogi de confeſſione & de arte moriendi.

21. „Ejusd. Tractatus de Meditatione. Ejusd. Tr. de Oratione. „Ejusd. ſeptem Pſalmi penitentiales.

22. „Ejusd. Tractatus de ſimplificatione, ſtabilitione ſeu mun- „dificatione cordis. Ej. Tr. de directione ſeu rectitudine cordis. Ej. „Dyalogus de perfectione cordis, in quo theologus loquitur ad ani- „mam Chriſtianam.

23. „Venerabilis Vir Magiſter JOHANNES GERSON colle- „git in Lugduno Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo decimo „nono quendam tractatum, quem intitulat Trigilogium (*ſic*) Aſtro- „logie theologiſate, quem librum ſcripſit Delphino unico Regis Fran- „cie filio.

Hic titulus eſt libelli.

24. „Ejusdem Tractatus de Mendicitate ſpirituali.

II.

In Folio.

25. „THOMÆ AQUINATIS Quæſtiones de Malo.„ In fine rubrica: *Quaſtiones de malo diſputate per venerabilem ac illuſtrem doctorem S. Thomam de Aquino fratrum predicatorum ordinis*

 expli-

Digitized by Google

explicient feliciter. Impreſſum eſt totum opus ac completum per me Arnoldum ther Harnen. De quo ſit benedictus Deus in ſecula ſeculorum. Addita ſunt ejus inſignia.

Haud dubie hæ quæſtiones excuſæ ſunt Coloniæ, ubi ille Arnoldus ther Hoernen officinam typographicam habuit, ac jam A. 1471. libros impreſſit (*k*) Alium librum iisdem typis ab eodem exſcriptum infra num. 34. producemus.

26. „Explicit MAMMOTRECTUS ſive Primicereus : arte imprimendi ſeu caracterizandi per me Heli jam Helije alias de Louffen „canonicum eccleſie ville Beronenſis in pago Ergovvie ſite absque calami exaratione vigilia ſancti Martini epiſcopi ſub anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo. Deo laus & gloria per infinita ſecula „ſeculorum. Amen. O Archangele Michael princeps ac propugnator „noſter.

Hæc in fine leguntur, quæ nos ſpeciminis cauſa æri incidi curavimus. Liber inſcriptione plane caret. Paginæ in duas ſunt diviſæ columnas. Sub finem ultimæ lineæ ſingularum columnarum ordine alphabetico literæ a. b. c. &c. ſignaturæ loco ſunt appoſitæ. Hujus editionis, judice MAITTAIRIO Annal. typogr. Tom. I. edit. II. p. 295. character eſt admodum ſingularis, largus Gothicus, compendioſiſſimus (i. e. ſi recte Viri docti mentem capio, vocum ſyllabarumque compendiis, quæ *abbreviaturas* nuncupamus, plenus), & lectu non facilis, quod ipſe conſpectus ſatis edocet. Nec vidi unquam librum ex alia officina emiſſum, huic ſimilem. Eodem anno, imo eodem die, nempe in vigilia Martini, barbarum hoc Lexicon biblicum & eccleſiaſticum etiam ex Petri Schoiffer de Gernsheim typographia Moguntiæ prodiit. Auctor ejus eſt quidam Jo. MARCHESINUS, Italus, Minor. Ordinis ſodalis. FABRICIUS noſtram editionem ignoravit, opusque

Fig. II.

(*k*) vid. MAITTAIRE Annal. typogr. Tom. I. p. 306. edit. II.

Digitized by Google

Fig. II. ad pag. 26.

Explicit Mamotrectus ſiue pri
micereus arte inprimendi ſeu ca
ractarizandi per me Heliſam he
lĩſe alias de llouffen Canonicum
Eccleſie ville Beronenſis in pa·
go Ergowie ſite abſq; calami·
pꝛaracione Vigilia ſancti Mar
tini Epiſcopi Sub Anno ab in
carnacione domini ·Milleſimo·
Quadringenteſimo Septuage
ſimo· Deo laus et gloria per in
finita ſecula ſeculorum Amē ·

O Archangele Michahel prin-
ceps ac propugnator noſter·

G. F. Osterwig sc. Lindav.

Digitized by Google

Digitized by Google

opusque A. 1466. abſolutum eſſe, quod ipſe auctor teſtetur, refert (*l*). Sed poſſideo exemplar hujus Dictionarii manu exaratum, cujus in fine hæc adſcripta ſunt: *Explicit Mammotrectus fratris Marcheſini Anno Domini 1461.* Imo in Bibliotheca Heilsbronnenſi, teſte Jo. Ludov. HOCKERO in illius Catalogo p. 25. exſtat Codex hujus libri membranaceus, cujus ſub finem hæc leguntur: *Explicit Mammotrectus, comparatus a fratre Henrico de Liggartshauſſen, quondam Priore noſtro. Qui finitus eſt Anno Domini MCCCLVII. in vigilia beati Andree Apoſtoli.* De hoc Mammotrecto elegantiſſimum programma Francofurti ad Viadrum A. 1740. edidit V. C. Mart. Geo. CHRISTGAU, in quo de ejus auctore, inſcriptione, contentis & editionibus erudite diſſeruit (*m*), cujus in gratiam moneo, præfationem editioni anni 1476. additam in noſtra deſiderari, quæ in Helvetia prodiiſſe videtur. Ea enim in quatuor olim pagos, Tauriacum nempe ſive Turgoviam, Tigurinum, Argovienſem, ſive Aergau vel Ergoviam, & Aventicenſem ab antiquis ſcriptoribus dividi ſolebat, An per Villam Beronenſem celeberrimam illam Helvetiæ civitatem Bernam, quam Arola fluvius (*die Aar*, unde Argoviæ vel Ergoviæ nomen derivatur) magnam partem ambit, indicare typographus voluerit, neſcio: inſignem certe urbem fuiſſe inde colligi poteſt, quia collegium Canonicorum habuit. Ergovia autem non fuit ſingularis quidam vicus; ubi impreſſum fuiſſe Mammotrectum Proſper MARCHANDUS (*n*) ac CHRISTGAVIUS perhibuerunt, ſed integra quædam regio Helvetiæ, quæ in certos pagos, pagi vero rurſus in quasdam villas, oppida & vicos diſtribuuntur.

Potius in Villa Beronenſi, ſive hæc Berna, ſive alia civitas fuerit, in pago Ergoviæ ſita, liber impreſſus eſſe videtur. Nullius præter hunc libri ab hoc typographo excuſi meminit MAITTAIRIUS. Weiſlingerus

(*l*) in Biblioth. Lat. mediæ & infimæ ætatis, Vol. IV. p. 31. & 67.
(*m*) conf. *der Berliniſchen Bibliothec* Vol. II. p. 420. ſq. & 794. ſqq.
(*n*) *Hiſtoire de l'Imprimerie* p. 57.

Digitized by Google

lingerus vero Argentorati in Bibliotheca Commendæ, quam vocant; ord. Melit. S. Joannis Hieroſol. Roderici Zamorenſis Speculum vitæ humanæ An. 1472. ab eodem typis exſcriptum aſſervari in Armamentario Catholico f. 30. refert.

27. „Tractatus de quatuor virtutibus cardinalibus editus & expo„ſitus ad Cives Venetos per fratrem HENRICUM ARIMINENSEM.,

Præmiſſus eſt index ſtudio Thomæ DORNIBERG de Memmingen, ſacrorum Canonum & artium liberalium Doctoris, qui hujus editionis curam geſſit. Indici hæc ſubjuncta ſunt verba: *Omnes itaque virtutum cultores pro bene actis gracias deo referant. Et ſi quid minus bene ordinatum invenerint indulgenciam preſtent, Et non livoris acculeo ſed caritatis Zelo in melius reforment queſo completa eſt hæc tabula remiſſoria per me Thomam Dorniberg antedictum de Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Ipſa die ſancti Martini pape.*

Fig. III. In operis autem coronide, quam in æs incidendam curavimus ſequentia leguntur: *Tractatus pulcherrimus de quatuor virtutibus cardinalibus per fratrem Heinricum Ariminenſem ad Venetos editus totam fere philoſophiam moralem complectens unacum exemplis & hiſtorys tam ex divinarum quam humanarum ſcripturarum autoribus ſumptis ad conficiendum arengas collaciones & ſermones utiliſſimus arte impreſſoria Spire artificioſe effigiatus feliciter explicit.*

De Thoma DORNIBERG, qui Memmingam meam communem mecum agnovit patriam, conferri meretur V. Cl. mihique in Academia quondam Jenenſi amiciſſimus Erh. Chriſtophorus BAUR in vita Chriſtophori LEHMANNI, Chronographi Spirenſis præſtantiſſimi, Germanice Francofurti An. 1756. in 8. evulgata p. 140. ſqq.

28. „Compendium theologice veritatis.

Subjecit huic operi laudatus DORNIBERG indicem, cujus in fine ſic lectores alloquitur: *Suſcipite igitur queſo omnes theologice veri-*

tatis

Digitized by Google

Fig: III. ad pag. 28.

Tractatus pulcherrimus de q̃tuoꝛ virtutibus cardinalibus per fratrem Heinricum ariminenſem ad venetos editus totam fere philoſophiam moralem complectens vnacum exemplis & hiſto: rys tam ex diuinarũ q̃ʒ humanarũ ſcripturarũ auctoꝛibus ſũptis ad conficiendum arengas collacões & ſermones vtiliſſimos arte impreſſoria Spire artificioſe effigiat9 feliciter explicit

GIO. sc. Lind.

Digitized by Google

tatis fideique katholice amatores hunc laborem grato animo gratias agentes cuncti potenti deo. Cujus munere ac ſingulari adjutorio hæc ego Thomas Dorniberg prefatus feliciter perfeci complevi Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tercio. In vigilia Sancti Bartholomæi Apoſtoli.

Miror, poſt alios etiam C. G. SCHWARZIUM Part. I. Indicis Librorum ſæculo XV. impreſſorum p 5. librum hunc Thomæ DORNIBERG tanquam auctori adſcripſiſſe, cum is editor duntaxat & indicis concinnator fuerit, id quod ex præfatione indici præmiſſa, ad quam tamen Vir laudatus provocat, pateſcit, cujus hoc eſt initium: *Ego Thomas Dornberg de Memmyngen Decretorum artiumque liberalium doctor & conſulatus inſignis civitatis Spirenſis advocatus multorum ſtudioſorum clericorum precibus pluries inſtigatus ut compendium theologice veritatis materias communiores, magisque neceſſarias & utiliores ad ordinem alphabeticum redigerem. Ac ex eisdem regiſtrum debito ordine conficerem. Matura ſiquidem & diligenti hujus operis lectione prehabita conſideravi quod preſens liber, qui compendium theologice veritatis intitulatur, non ſolum curam animarum habentibus, verum etiam omnibus viris eccleſiaſticis cujuscunque ordinis, dignitatis, aut ſtatus exiſtant, utilis & neceſſarius exiſtit. Et merito inter omnes alios libros eisdem precipuus eſſe debeat & familiariſſimus. Cum ſuccinctim breviterque ac magiſtraliter totius theologie fideique katholice complectatur fundamentum & principia. Sine quorum cognitione nemo recte clericus, aut vix chriſtianus nuncupari meruit. Hanc que ſequitur tabulam remiſſoriam confeci. Auctoritates & materias notabiliores ſignando.*

In promtu mihi eſt alia hujus Compendii, inter præcipuos illa ætate libros theologicos, judice J. A. FABRICIO (*o*) merito æſtimandi, antiqua editio quadruplicis formæ, in qua illud Alberto Magno tribuitur. Hæc enim verba ſub illius calcem leguntur: *Explicit Com-*

(*o*) in Biblioth. Lat. mediæ & infimæ ætatis. Vol. II. p. 184.

Digitized by Google

Compendium theologice veritatis compilatum per Albertum Magnūm impreſſumque Venetiis per Magiſtrum Chriſtophorum Arnoldum Alamannum 1476. die 5. Apr. Sereniſſimo Duce Andrea Vendrameno regnante.

29. „Opus de miſterio miſſe Domini fratris ALBERTI MAGNI „quondam Epiſcopi Ratiſponenſis. In fine hæc habentur: *Opus de miſterio miſſe Domini ALBERTI MAGNI autoritate radians: in quo nichil traditur aut docetur, quod non ſcripturarum dignis teſtimoniis comprobetur. In imperiali opido Ulm per Johannem Czeiner de Reutlingen ſumma cum diligentia impreſſum. Anno a nativitate Domini MCCCC. LXXIII. die XXIX. menſis Maji feliciter finit.*

Miror, Joannem Zeiner Reutlingenſem Ulmæ uſum adhuc fuiſſe characteribus ſculptis ſolutilibus, quod ipſa eorum inæqualitas ubivis obvia evincit, cum tamen Guntherus Zainer, itidem Reutlingenſis, illius, uti videtur, vel frater, vel agnatus, Auguſtæ Vindel. jam 1472. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi Etymologias, librumque de reſponſione mundi & aſtrorum ordinatione, quæ opera bibliothecam noſtram publicam ornant, typis Romanis fuſilibus, iisque pernitidis & elegantiſſimos Nicolai Jenſonii characteres (*) æmulantibus impreſſerit. Inde Joannem ex Guttenbergii, Guntherum vero ex Fauſti Schola prodiiſſe colligo, ſimulque obſervo, vel RINCKIUM, vel GLAFEYUM minus vere pronunciaſſe, characterem, qui a loco inventionis Romanus vocatur, in Germaniam demum circa ſæculi XV. finem ex Italia introductum eſſe. Vid. Biblioth. Rinck. p. 1031.

30. „Tractatus de periculis contingentibus circa ſacramentum „Eukariſtie & de remediis eorundem ex dictis S. THOME de AQUI- „NO. Ejusd. Epiſtola de Judeis ad petitionem Comitiſſe Flandrie. „

Licet anni, loci & typographi indicio hic libellus ſit deſtitutus, huc tamen eum referendum duxi, quia ex typis comparet, ex eadem, qua

(*) quibus excudit A. 1471. Quintilianus, quem in Bibliotheca noſtra publica nunquam ſine voluptate & admiratione aſpicio.

Digitized by Google

Fig. IV. ad pag. 31.

¶ Vigore infiniti entis explicit li b· bon⁹·q peruti'is
Aurea biblia ·ve·ac·no·te·appellat⁹· Vim diligent p
Johānez zeiner de Rütlingen artifitialit effigiat⁹·
Anno legis grē· M·cccc·lxxv· die altera poſt viti &
modeſti martirum Cui ſit honor & gloria in ſecula
ſeculoꝝ ·amen·ſic

Digitized by Google

qua Alberti Magni opus de myſterio Miſſæ, illum prodiiſſe, Joannis nempe Zeineri officina, ſicuti uni etiam eidemque volumini cum iſto opere incluſus eſt.

31. Rationale divinorum officiorum formæ maximæ.

In fine: *Rationalis preſens divinorum officiorum liber capitalium decoratus venuſtate eſt rubricationibus accuratius diſtinctus per diſcretum Johannem Zeiner ex Rutlingen procreatum urbe Ulm commorantem cum diligentia impreſſus cum Trinitatis ſumme & individue adjutorio conſummatus Anno Domini Milleſimo quadringentiſimo ſeptuageſimo quinto die XVIII. Marcii.*

Literæ capitales in ſingulorum librorum primordiis non ſunt calamo appictæ, ſed e ligno ſculptæ, quod & de cæteris Jo. Zeineri libris obſervandum. Signa chartariorum partim ſunt roſa, partim uva (*p*).

32. „Liber manualis ac introductorius in Biblie hiſtorias figuras„que veteris ac novi teſtamenti peroptimus Aurea Biblia vocitatus.

Coronidem quam ævi incidi juſſimus, libro imponunt hæc verba: *Vigore infiniti entis explicit liber bonus & perutilis Aurea Biblia veteris ac novi teſtamenti appellatus Ulm diligenter per Johannem Zeiner de Rutlingen artificialiter effigiatus. Anno legis gratie MCCCCLXXV. die altera poſt Viti & Modeſti martirum cui ſit bonor & gloria in ſecula ſeculorum Amen. &c.* Fig. IV.

In præfatione Conventui Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini Neapoli inſcripta, auctor ſe Antonium Ampigollum (in aliis editionibus

(*p*) Vid. SCHWARZII Tabulam, in qua exhibentur ſigna quædam artificum chartariorum, quorum chartis in excudendis libris frequentius uſi ſunt primi typographi Moguntini in III. Parte Document. de originie typogr. p. 41.

Digitized by Google

tionibus Rampigollum) ejuſdem ordinis ſodalem nuncupat. Omnes autem cæteros libros ante hunc annum ex officina Joannis Zeiner Ulmæ publicæ luci expoſitos pariter typis ſculptis verſatilibus fuiſſe excuſos, jure cenſemus, cum illum a fuſis typis æneis, ceu magis commodis & nitidioribus, ad moleſtiores minusque elegantes, e ligno, vel plumbo etiam, aut ære ſculptos, rediturum fuiſſe incredibile ſit. Huc ergo etiam referimus Epiſtolam Franc. PETRARCHAE de inſigni obedientia & fide uxoria Griſelidis in Waltherum, & Jo. BOCCACII de claris mulieribus opus, quæ idem, teſte MAITTAIRIO Annal. typ. Tom. I. p. 322. A. 1473. excudit; nec non Alvari PELAGII Compilationem de planctu eccleſiæ ab eodem A. 1474. impreſſam vid. SCHWARZII Indicem librorum ſæculo XV. impreſſorum p. 108. ſq.

33. „Horæ canonicæ ſecundum chorum Eccleſiæ Auguſtenſis.

Hic liber inſcriptione plane caret, ſed initium capeſſit a verbis: *Dominica prima adventus ſuper Pſalmos &c.* Sub ejus vero calcem hæc leguntur: *Librorum horarum pars hyemalis cum omnibus novis hiſtoriis ejusdem partis ſecundum chorum eccleſie Auguſtenſ. finit feliciter &c. Per Johannem Bämler Civem ibidem Anno MCCCC° LXXIX° III. Kal. Decembris.*

Supra ad num. 29. mirari me profeſſus ſum, Joannem Zeiner Reutlingenſem Ulmæ adhuc fuiſſe characteribus ſculptis ſolutilibus uſum, cum tamen Guntherus Zainer, itidem Reutlingenſis, ejus vel frater vel agnatus, antea jam Auguſtæ Vindel. libros typis fuſilibus excuderit. Magis autem mirum, in eadem urbe Auguſtana anno adhuc 1479. Bæmlerum Horas haſce canonicas characteribus ſculptis impreſſiſſe. Sed nonne idem uſu venit in civitate Agentinenſi, ubi Jo. Mentelius Vincentii Bellovacenſis ſpecula, vaſtum decem maximæ formæ voluminum opus, A. 1473. & ſequentibus literis fuſis excudit, Henr. vero Eggeſteinius, Jeorius Huſnerus, Cephaleus Wolphius & Martinus Flachius eodem tempore libros typis ſculptis exſcripſere, & anno adhuc 1478.

Henr.

Digitized by Google

Nota ꝙ iſte liber preſupponit ꝙ lecturus ipſum vtiliter fuerit iam per moralem philoſophie conſo lacionem inſtructus et imbutus· hominē preterea requirit ocioſum non ocioſe

Nota ꝙ pro intellectu p̄cedētis dialogi ꝙ Volu-ter eſt intellectus diſcurſiuus et racōcinatiuꝰ· Mo nachus eſt intellectus meditatiuꝰ et inq̄ſitiuus· Peregrinꝰ eſt homo cōtēplatiuꝰ ſimul et actiuus·

Conſūmatū ac cōpletū eſt hoc opus de ꝯſolacio ne theologie magiſtri Johānis gerſon cancellarij pariſienſis ad laudem et gloriā dei et vtilitatē le-gencium· ac impreſſū per me Arnoldū ther hurnē Qui vult ergo legat dn̄m poſt hoc benedicat ·:·

G. I. Oue sc. Lind.

Digitized by Google

Henr. Knoblochzerus Proceſſum judiciarium Belial in fol. characteribus ex ære ſculptis, non fuſis impreſſit? (†)

In Quarto.

34. „Tractatus pulcherrimus de Conſolacione theologie eximii in „ſacra pagina profeſſoris JOHANNIS GERSON Cancel„larii Pariſienſis.

In fine hæc legitur ſubſcriptio, miniatis typis impreſſa: *Conſummatum ac completum eſt hoc opus de conſolacione theologie magiſtri Johannis Gerſon cancellarii Pariſienſis ad laudem & gloriam Dei & utilitatem legencium ac impreſſum per me Arnoldum ther hornen. Qui vult ergo legat dominum poſt hoc benedicat.*

His verbis typographi, qui Coloniæ officinam typographicam habuit, inſignia rubro colore adjecta ſunt. Supra jam num. 25. librum, ex ejus officina prognatum, recenſui. Hujus autem Gerſoniani tractatus ultimam pagellam æri incidendam curavi. Fig. V.

Hæc ſufficiant, etſi non dubitem, me, ſi liberius mihi ſuppeteret otium, in Bibliotheca noſtra publica, libris ante annum MD. excuſis egregie inſtructa, plures hujusce generis editiones, licet rariſſimarum in cenſum referendas, reperturum.

Addo tamen, inter meas me reculas ſervare quosdam libros veteres Germanicos, itidem typis ſculptis ſolutilibus exſcriptos: e. c. 1. *Das Buch Ovidii von der liebe zu erwerben, auch die liebe zeverſchmeben als Doctor Hartlieb von Latein zu Teutſch gepracht hat durch bete und Geſchæffte eines Fürſten von Oeſterreych.* in fol.

E 2. *Des*

(†) Teſte illuſtr. SCHOEPFLINO l. c. p. 44. 47. 49.

Digitized by Google

2. *Des Durchleichtigen Wolgebornen Graven Flavii Vegecii Renati Kureze red von der Ritterſchafft zu dem grosmechtigſten Kaiſer Theodoſio ſeiner Biecher vierer* cum figuris. in fol. min. vel quart. maj. Hæc eadem videtur editio, quæ olim extitit in Bibliotheca Seideliana Berolini. Iisdem enim gaudet antiquitatis characteribus, quos deſcriptos vides in FABRICII Biblioth. Lat. Vol. III. p. 134.

3. *Das Büchlin von dem ſterbenden menſchen, das einem jetlichen Menſchen gar nüze und ſeiner Sel heylſam iſt an ſeinem letſten eunde.* cum fig. in 4. &c.

Omnes autem libros, quos hactenus recenſui, typis haud fuſis, atque ex una matrice veluti prognatis, ſed ſingulatim ſculptis, excuſos eſſe perſuaſum mihi habeo, quia nulla fere litera, etſi ſæpius in una pagina recurrens, ſibi ſatis & omni ex parte eſt æqualis, ſicuti typi ex una matrice fuſi eſſe ſolent: quod non meum tantum eſt judicium, ſed amici etiam eruditi, qui perſpicaciſſimis illos oculis perluſtravit.

Miror, MAITTAIRIUM, ſolertiſſimum Annalium typographicorum conditorem, quantum memini, nusquam de libris hujusmodi, qui typis ſingulariis e ligno vel ære ſculptis, excuſi ſunt, ex inſtituto (*) egiſſe,

(*) Ex inſtituto, inquam, quod in Annalibus typographicis fieri decuiſſet. Binis autem verbis typorum ligneorum mobilium meminit Tom. I. p. 32. edit. I. Jll. SCHOEPFLINUS in Vindic. typogr. p. 77. ſq. TRITHEMIUM ait in ſua de typographia inventa relatione ſingularium literarum ſculpturæ plane nullam feciſſe mentionem, atque adeo putaſſe a tabulis ſculptis ad fuſiles typos Guttenbergium Moguntiæ ſubito tranſiviſſe. Mihi vero alia animo ſedet ſententia. Cum enim ille in Annalibus Hirsaugienſ. T. II. p. 421. tabularum lignearum meminiſſet, ita pergit: *Poſt hæc inventis ſucceſſerunt ſubtiliora, inveneruntque modum fundendi formas omnium Latini Alphabeti literarum, quas ipſi matrices nominabant, ex quibus rurſum æneos ſive ſtanneos characteres fundebant, ad omnem preſſuram ſufficien-*

Digitized by Google

egiſſe, vel eos in recenſendis priſcis editionibus ab aliis diſtinxiſſe: atque hac occaſione annoto, quod hactenus nemini animadverſum opinor, duas operariorum & tyronum migrationes e typographeo Moguntino contigiſſe, unde veluti coloniæ quædam typographorum in alias regiones & urbes deductæ ſunt, unam videlicet A. 1455. eorum, qui a partibus Guttenbergii ſtabant, acerbe ferentium, eum a Fauſto injuria apparatu ſuo typographico ſpoliatum, alteram A. 1462. Moguntia ab Adolpho Electore per inſidias capta, direpta & miſere vaſtata. Ab illis modus libros typis ex ligno vel ære ſculptis excudendi in alias urbes propagatus, ab his typi fuſiles uſurpati. Hinc conſtat ratio, quare editiones quorundam tam invenuſtæ, rudes atque inconcinnæ exiſtant, quia nimirum nonnulli, cum Moguntia, antehac nihil tale opinantes, aliorſum dilaberentur, artis nondum ſatis periti, vel etiam pecunia, optimo illo rerum feliciter gerendarum nervo, deſtituti erant.

ſufficientes, *QUOS PRIUS MANIBUS SCULPEBANT.* Ultima hæc verba de typis ſculptis mobilibus accipienda eſſe cum præſtantiſſimo KOELERO cenſeo. Narrans ſcilicet TRITHEMIUS, inventum tandem fuiſſe modum fundendi formas omnium Latini Alphabeti literarum, matrices nominatas, ex quibus rurſum ænei ſive ſtannei characteres fuſi ſint, ad omnem preſſuram ſufficientes, adjecit, quos (characteres) *prius* manibus ſculpebant, innuens nimirum ante matrices excogitatas characteres prius manibus fuiſſe ſingulatim ſculptos. Vide, ſi placet, meam de antiquiſſima Lat. Bibliorum editione Diatribam. p. 24.



OBS. IV.

DE

LIBRIS IN PRIMA MOGUNTIÆ TYPOGRAPHIA IMPRESSIS, ET VETUSTIS QUIBUSDAM MISSALIBUS &c.

Locupletiſſimum indicem librorum in prima Moguntiæ officina typographica excuſorum accuratæ induſtriæ C. G. SCHWARZII (*q*) acceptum grati referimus. Ego jam tres tantum, qui Viri præſtantiſſimi diligentiam fugerunt, tenuis ſpicilegii inſtar adjiciam.

Nihil enim dicam de antiquiſſimis Bibliis Latinis, typis grandioribus & craſſioribus, qualibus vetuſta Miſſalia imprimi ſolebant; excuſis, cum de illis ſingulari diatriba ex inſtituto egerim.

De Pſalterio duplici vice Moguntiæ, A. nempe 1457. & 1459. typis ligneis mobilibus impreſſo, jam Vir laudatus diſſeruit (*). Addere tamen quædam ex egregia epiſtola literatiſſimi Bibliothecarii Genevenſis (*r*) juvat: *Mon Ami m' aprend encore qu'ils n'ont plus à Mayence le Pſeautier de 1457. qui eſt le premier Livre imprimé dans leur Ville, portant une date certaine.*

Mr.

(q) vid. ejus Primar. Document. de origine typographiæ, Part. II. p. 4. ſqq.

(*) l. c. p. 7. ſq.

(*r*) *Nouvelle Bibliotheque Germanique*, Tom. IX. p. 391. ſq.

Digitized by Google

Mr. de BOZE en poſséde un Exemplaire, dont il a donné la Notice dans le XIV. Volume des Mémoires de Litérature. Il ėſt depuis bien des années dans la Bibliothéque de l' Empereur, & il a paſsé pour unique pendant long tems; mais il y a douze ou treize ans qu'on en trouva un autre Exemplaire dans l' Egliſe Collegiale de St. Victor de Mayence, qui avoit été oublié dans une armoire de la Sacriſtie. Un Ami de Mr. de BOZE, qui ſe trouva alors à Mayence, ſut l' acquerir & le lui procurer, quoique ce fût l' unique qui reſtoit dans cette Ville. On n' y voit plus que la 2. de Edition, faite avec les mêmes Caracteres de bois en 1459. dont les Bénédictins & les Chartreux ſe ſervent actuellement pour l' Office. Ne vaudroit-il pas mieux le conſerver précieuſement dans la Bibliotheque, que de l' uſer ainſi ſans neceſſité? Mais il ne paroît pas que l' on ſoit fort curieux à Mayence de ces premiers Eſſais de l' Imprimerie, qui cependant illuſtrent leur Ville plus que toute autre choſe.

Eſt mihi ex ipſis R. P. Prioris literis exploratum, Carthuſienſes Moguntinos extra mœnia civitatis non unum duntaxat (†), ſed tria exemplaria Pſalterii A. 1459. typis exſcripti in uſum chori ſui poſſidere, ſingula haud dubie membranacea: alias enim ætatem non tuliſſent, ſed diuturno uſu pridem fuiſſent detrita & conſumta.

Verum en tibi jam tres illos libros, qui in SCHWARZII indice deſiderantur.

I.

AUGUSTINUS DE VITA CHRISTIANA in 4. ſine loci annique indicio, paginis haud numeratis, nec ſignaturis & cuſtodibus, quos vocant, adjectis.

(†) Unius meminit SCHWARZIUS in Documentis de Orig. typogr. Part. II. p. 8. idque membranis impreſſum eſſe refert.

Digitized by Google

In calce hæc verba exſtant: *Explicit liber beati Auguſtini de vita Chriſtiana. Hec faciendo quisque vitam obtinebit eternam.* Addita ſunt rubro colore inſignia Fauſti & Schœfferi, quæ officinam, unde profectus eſt hic libellus, ſatis produnt. Prima ejus verba ſunt: *Ego Auguſtinus primus peccator & ultimus inſipientiorque ceteris & imperitior univerſis* &c. Hujus editionis meminit Theophilus Sincerus, vel potius Ge. Jac. SCHWINDELIUS in Notitia hiſtorico-critica librorum veterum rariorumque, Vol. I. p. 37.

Aliud Auguſtini opuſculum DE VERAE VITAE COGNITIONE, nota anni locique ſimiliter deſtitutum, ſed ſcutulis Fauſti & Schœfferi in fine ornatum, recenſuit SCHWARZIUS l. c. Part. II. p. 21. de quo, cum mihimetipſi etiam ad manus ſit, nonnihil addere juvat.

In fronte comparent ſequentes verſiculi:

Auguſtine pater, aquilino more Johannis
Ingenii velis petis alta recondita celis
Inde venis lucens lucem cunctisque revelans
Quam dum continuo patulam factis (l. facis) eſſe libello.
Non capit hanc totam ſimul omnia mens relegendo
Eſt opus ergo pium membris diſtinguere totum
Luceat ut facile pia mens quodcunque requirit
Hinc memor eſto tui memoris precor alme pater te
Tecum luce frui mihi det lux optima per te amen.

Procemium libelli ſic incipit: *Sapientia dei qui os muti aperuit & rudibili animali humana verba formare tribuit* &c. Typis iisdem, quibus Durandi Rationale & Ciceronis Officia, excuſus eſt, atque hinc infert SCHWARZIUS, eum iſtis operibus ætate ſi non præferendum, certe æqualem eſſe habendum. Fortaſſis ergo fuit primum eximiæ artis,

tis, libros typis fuſilibus imprimendi, experimentum, libellus extremam ſane antiquitatem typographicam ſapiens.

II.

MISSALE ECCLESIAE MISINENSIS A. 1485. in fol.

„Sub ejus finem hæc leguntur: Cum in Diœceſi Myſinenſi eſſet „magna penuria Codicum miſſalium ſecundum ordinationem eccleſiæ „Miſinenſis: Iidem magna ex parte corrupti ac depravati eſſent: reve„rendiſſimus Dominus de Weiſſenbach memoratæ eccleſiæ epiſcopus „animadvertens officii ſui eſſe ejusmodi penuriæ occurrere atque provi„dere ut ex facili codices quam emendatiſſimi haberi poſſent, provi„deque in eam rem intendens, ut & optime emendarentur, & emen„dati imprimerentur curavit. Ex auctoritate itaque & juſſu ſuo atque „expenſis preſens opus Miſſalium ſecundum rubricam eccleſiæ Myſinen„ſis caſtigatum atque emendatum prius impreſſum per Petrum Schoiffer „de Gernsheim in nobili civitate Moguntina hujus impreſſoriæ artis in„ventrice elimatriceque prima anno incarnacionis dominice milleſimo „quadringenteſimo octuageſimo quinto XXVII. die Menſis Junii felici„ter eſt conſummatum. (s)“

III.

ORDNUNG DER ROMIS. KO. MAI. CAMMERGERICHT mit allen ſeinen Puncten und Artickeln, wie das dan uff der Verſamblung des heiligen Reichstag zu Worms im Jar M. CCCC. XCV. durch unſern allergnedigſten hern Maximilian Rom. Ko. die Churfürſten, Fürſten, und gemeyn Verſamblung des heiligen Reichs geordnet, geſezt, und beſchloſſen iſt. in fol.

In fine: *Geendt und getruckt zu Mentz durch Peter Schœffer von Gernsheim Buchtrucker &c. uff Mondag nach Michaelis im XCV. Jar. (t)*

MAIT-

(s) vid. WILISCHII Arcana Bibliothecæ Annæbergenſ. p. 113.
(t) vid. Weislingeri Armamentarium Catholicum p. 639.

MAITTAIRIUS (*u*) & SCHWARZIUS (*x*) poſt annum 1492. quo Chronicon Saxonum (*Cronik der Saſſen*) fuit impreſſum, nullum amplius librum, a Petro Schœffero Moguntiæ excuſum, ſe reperire potuiſſe fatentur. Neſcio autem, qui factum ſit, ut Berchtholdus Archiepiſcopus & Elector Miſſale eccleſiæ Moguntinenſis A. 1497. typis non Schœfferi, e cujus officina tamen Miſſale Miſenenſe A. 1485. prodiit, ſed Petri Drach, typographi Spirenſis, excudendum curaverit. Hoc nuperrime ex Bibliotheca quondam Schilteriana in meam pervenit, luculento charactere in fol. maj. impreſſum, cujus, MAITTAIRIO aliisque ignoti, in fine hæc rubris characteribus excuſa leguntur: „Magna Miſſalium librorum penuria ſecundum ordinationem ſive rubricam „eccleſie Maguntine exiſtente eisdemque codicibus magna ex parte corruptis depravatisque Reverendiſſimus in Chriſto pater & Dominus. „Dominus Bertoldus Archiepiſcopus Maguntinen. prefato defectui occurrere cupiens: ſuique officii eſſe ut ejusmodi libri quam emendatiſſimi haberentur animadvertens in hanc ordinationem imprimi providit. „Ad cujus Reverendiſſimi in Chriſto patris & Domini, Domini Bertoldi archiepiſcopi decorem & reverentiam ejusque devoti cleri preſens hoc miſſale divinorum officiorum denuo reviſum, nec non in „compluribus locis caſtigatum non parvis impenſis honeſti domini Petri „Drach viri conſularis civitatis Spiren. Anno noſtre ſalutis M. CCCC. „XCVII. ſecundo nonas Septembrias feliciter eſt conſummatum.„ Adjecta ſunt typographi Spirenſis inſignia.

Citra dubium interea agere inter homines deſiit Petrus Schœfferus, cui in officina quidem ſucceſſit Joannes filius, a quo vero nullus, quantum quidem conſtat, liber ante A. 1503. impreſſus habetur. Is tamen deinde duplici vice A. nimirum 1507. & 1513. Miſſale Moguntinenſe excudit (*y*).

Liceat

(*u*) Annal. typogr. Tom. I. p. 4. edit. II.
(*x*) l. c. p. 43.
(*y*) vid. Proſp. MARCHAND *Hiſtoire de l' Imprimerie* p. 48. ſq.

Digitized by Google

Liceat hac occaſione Miſſalibus & Pſalteriis antiquis, in Diatriba mea p. 10. ſq. commemoratis, ad ſupplendos annales typographicos quædam hujusce generis, tum mihi non obſervata, ex bibliotheca noſtra publica adjungere.

I.

„OBSEQUIALE collectum ex diverſis, preſertim ſecundum Ec„cleſiam Auguſtenſem Provincie Maguntinenſis „ typis miſſalibus in 4.

Epiſtolam in hujus editionis laudem ad Erhardum Ratdolt, typographum Auguſtanum, præmiſit Adolphus OCCO, Friſius, Friderici Epiſcopi Auguſt. Archiater, quam excipit hoc decaſtichon.

Aſpicis hos libros Chriſti quicunque ſacerdos:
Erhardus Ratdolt quos tulit arte ſua.
Grato animo accipias: uſum ritumque ſacrorum
Si vera Chriſti religione petis.
Preſul Johannes pridem hoc monuit memorandus:
Cujus in ethereis ſedibus umbra manet.
Hoc quoque ſucceſſor Fridericus epiſcopus illi
Juſſit conſimilis moribus ore fide.
Sume igitur librum hunc: ſacris depromere chartis
Quo populo & ſuperis officium valeas.

Finem libri facit hæc rubrica: „Obſequialis ſecundum dicesis Augu„ſteñ. morem apprime laudabilem opuſculum pro ſacramentorum & „ſacramentalium adminiſtratione neceſſarium: & ad veterum exempla„rium inſtar fideli ſtudio vigilantique cura emendatum atque reviſum „explicit feliciter: Erhardi Ratdolt Auguſteñ. viri ſolertis eximia „induſtria: & mira imprimendi arte: qua nuper Venetiis: nunc

F „Auguſte

Digitized by Google

„Auguſte excellit nominatiſſimus. Cal. februarii Anno ſalutis „M. CCCC. LXXXVII.

„Laus Deo & Virgini dive.

II.

„OBSEQUIALE ſive Benedictionale ſecundum Eccleſiam Au„guſtenſem.„ Idem liber in 4. Præfationis loco hæc præmiſſa ſunt: „Cum jam dudum ex mandato Reverendiſſimi in Chriſto Patris & „Domini Friderici epiſcopi Auguſtenn. Circumſpectus vir Erhardus „Ratdolt obſequialia ejusdem dioceſis ſumma cura & vigilantia im„primi feciſſet. Videns vero predictus Erhardus ea que dudum im„preſſerat clero non ſufficere: ſciens in hoc rem gratiſſimam religioni „deditiſſimo epiſcopo & presbiteris ejusdem dioceſis maxime curatis „admodum neceſſariam facere ſi ſua opera atque diligentia defectum „earundem ſuppleret. Quare majori cura & exactiſſima diligentia „hec que cernis de novo & perpolito caractere imprimi curavit. Adjecta ſunt Epiſcopi Auguſtenſis inſignia, ligno inciſa.

Coronidem conſtituit hæc rubrica: „Obſequiale ſecundum ritum „Eccleſiæ Auguſtenſ. impreſſum per Erhardum Ratdolt explicit felici„ter XXVI. die Nov. anno Chriſti LXXXIX.„ eandemque ornant inſignia typographi, præfixo diſticho:

Erhardi Ratdolt felicia conſpice ſigna
Teſtata artificem, qua valet ipſe manum.

III.

MISSALE AUGUSTANUM nitide impreſſum, A. 1496. in fol.

In principio exſtat Mandatum Friderici Epiſcopi Auguſtani ex Comitibus in Zollern ad omnes ſuæ Diœceſeos ſacerdotes, quibus hujus

hujus Miſſalis uſum imperat. In fine hæc leguntur: *Liber Miſſalis ſecundum ritum eccleſie Auguſtenſ. per Erhardum Ratdolt mira imprimendi arte, qua nuper Veneciis, nunc Auguſte Vindelicorum excellit nominatiſſimus Auguſte impreſſus finit feliciter Anno Domini M. CCCC. XCVI. IIII. Idus Junii.* Tandem conſpiciuntur typographi inſignia, præmiſſo eodem diſticho.

Mirari ſubit J. A. FABRICIUM, Virum poſt fata etiam deſideratiſſimum, qui in Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis, Vol. I. p. 748. ſqq. Breviaria variarum Eccleſiarum longo ordine recenſuit, Miſſalia plane ſilentio præteriiſſe.

IV.

PSALTERIUM typis miſſalibus excuſum Lipſiæ An. 1505. in 4. cujus in calce hæc exſtant: *Pſalterium Davidis, adjunctis hymnis, felicem habet finem, opera & impenſis Melchior Lotters, ducalis opidi Liptzens. concivis, Anno Milleſimo quingenteſimo quinto pridie Idus Julii.*

Hoc Pſalterium incognitum erat non MAITTAIRIO tantum, ſed & ipſi diligentiſſimo Annalium typographiæ Lipſienſis conditori, Jo. Henrico LEICHIO, & Jacobo LE LONG, Bibliothecæ ſacræ auctori perinduſtrio.

OBS. V.

DE

ULRICO ZELLIO PRIMO TYPOGRAPHO COLONIENSI.

VEtuſtus Chronographus Colonienſis ex ore Ulrici Zellii, teſtis coævi, ſinceri, rerum probe conſcii, atque adeo fide digni, retulit,

Digitized by Google

tulit, Moguntia artem typographicam primum ab ipſo Zellio, Guttenbergii diſcipulo, delatam eſſe Coloniam, deinde Argentinam, & poſthac in alias etiam civitates migraſſe.

Hoc aſſertum profligaturi Viri, dum viverent, literatiſſimi KOEHLERUS & Davides CLEMENS objecere, librum ex Zellii officina emiſſum haud antiquiorem exſtare Gerhardi Hardervicenſis Commentariis in Logicam Ariſtotelis, anno demum 1494. excuſis, cum Petrus von Olpe jam An. 1470. Coloniæ auctoritates decretorum impreſſerit (*): præterea Mentelium Biblia Germanica An. 1466. jam Argentinæ typis exſcripſiſſe. Sed in Diatriba mea de antiquiſſima Latinorum Bibliorum editione, ceu primo artis typographicæ fœtu, & rariorum librorum Phœnice p. 28. protuli ego librum, quem prælo Zellii acceptum ferimus, illis Gerhardi Hardervic. Commentariis longe vetuſtiorem, Rober-

(*) Ulterius progreſſus Ill. SCHOEPFLINUS, Zellium noſtrum in Vindic. typogr. p. 77. in annum demum 1499. rejecit, ac inde Chronographo Colonienſi omnem in hac cauſa fidem abjudicavit, ſcribens: *Ulricum Zellium, qui floruit Coloniæ An. 1499. primum dicit* (Chronicon Colonienſe) *typographum illius urbis, quum tamen An. 1470. in ea jam libros impreſſerit Petrus de Olpe. In domeſticis rebus errans, in exteris num oculatior credendus!* Qui anno jam 1472. Coloniæ librum primæ magnitudinis typis excudit, recte dici non poteſt demum ibi An. 1499. floruiſſe. At Roberti de Licio Sermones, qui ſexto decimo Kal. Februarii i. e. decimo ſeptimo menſis Januarii die An. 1473. Coloniæ ex officina Ulrici Zellii prodierunt, anno jam 1472. ſub ejus prælo ſudarunt, id quod in Diatriba mea p. 28. demonſtravi. Non igitur ita erravit in domeſticis rebus Chronographus Colonienſis, ut hinc juſte inferri poſſit, in exteris eum multo minus oculatum fuiſſe. Ejus libri notitiam ex Adami Henr. LACKMANNI Annalium typogr. Selectis quibusdam Capitibus pag. 112. ſq. hauſi. At hæc ipſum etiam Virum celeberrimum præ manibus habuiſſe ex Vindic. typogr. p. 26. apparet. Auctoritates decretorum haud. A. 1470. ſed 1471. die Lunæ 23. Jun. ex typographia Petri de Olpe primum in lucem prodiiſſe, teſtatur MAITTAIRE Annal. typogr. Tom. I. p. 94. edit. I. & pag. 305. edit. II.

Digitized by Google

berti nempe de Licio Sermones, ſub anni 1473. auſpicia ex ejus officina evulgatos.

Ad Biblia autem illa Menteliana quod ſpectat, interim nos Ill. SCHOEPFLINUS ex oculari luſtratione edocuit (z), temporis & impreſſoris notitiam in fine non ipſum Mentelium typis expreſſiſſe, ſed Calligraphum, literas capitales & rubricas totius libri quum coloribus ſcriberet, calci ejus rubro hæc ſubjeciſſe colore: *Explicit liber iſte Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto formatus arte impreſſoria per venerabilem virum Johannem Mentell in Argentina.*

Idem primum librum Argentinæ impreſſum, cui typographi nomen, locus impreſſionis & annus adjecti ſunt typis, ex Henrici demum Eggeſteinii prelo 1471. prodiiſſe, nempe Gratiani Decretum, literis ſculptis excuſum, memorat (*a*).

Quicquid vero ſit, ego fidem Zellii & Chronographi Colonienſis ſatis vindicaſſe mihi videor in mea Diatriba, pauca nunc ibi dictis adjecturus.

Joannes Koelhof de Lubeck inter primos fuit, qui typographicam artem Coloniæ exercuerunt, cum anno jam 1470, ibi Bartholomæi Anglici opus de proprietatibus rerum excuderit (†). Hic typis ſuis ſumtibusque Chronicon illud Colonienſe, vernaculo ſermone ſcriptum, in lucem plus ſemel dedit (*), haud ſane paſſurus, honorem illum a Zellio ſibi aliisve eripi, niſi res fuiſſet teſtatiſſima, eum primum artem typographicam Moguntia Coloniam detuliſſe.

Relatio autem illa non Chronici duntaxat iſtius editioni anni 1499. ſed prioribus etiam inſerta fuiſſe videtur. In ea certe, quæ

(z) in Vindiciis typographicis pag. 42.
(a) l. c. pag. 44.
(†) teſte MAITTAIRIO Annal. typogr. Tom. I. p. 296. edit. II.
(*) Imo non deſunt Viri docti, qui Kœlhofium tanquam illius Chronici auctorem allegant. vid. Biblioth. Rincklan. loco mox citando.

An. 1494. lucem (*) vidit, illam jam legi, ex Jo. Chriſtoph. MYLII Memorabilibus Bibliothecæ Academicæ Jenenſis p. 209. patet, cui integra narratio notatu digniſſima præ omnibus aliis de inventione artis typographicæ relationibus hiſtoricis maximam fidem mereri viſa eſt.

Hac occaſione veluti in tranſitu annotarę juvat, Euchario Gottlieb RINCKIO, celebratiſſimi nominis viro, judice (*b*), hoc Chronicon, quod præſtantiſſimum appellat, inter quatuor illa antiquiſſima, Hartmanni nimirum SCHEDELII, Norimb. A. 1493. impreſſum, Saxonicum Moguntiæ A. 1492. editum, & Suevicum a Thoma LYRER compilatum, ac Ulmæ A. 1486. excuſum, eminere, & raritate præ reliquis ſeſe commendare.

Cæterum Diatriba mea publicæ jam luci expoſita, ex Viri Illuſtris Val. Ferd. de GUDENUS Recenſu Codicum ſub incunabula typographiæ excuſorum, qui Moguntiæ in R. Capituli Metropolitani Bibliotheca latitant (*c*), liber mihi innotuit, cujus in fine hæc leguntur: *Summaria pariter & Concluſiones Sexti* (Decretalium) *accurate & compendioſe ex Doctoribus circa eundem ſcribentibus, per honorabilem Virum D. Johannem Kœlner de Vanckel, artium liberalium Magiſtrum, Juris utr. Doctorem virum peritiſſimum, in florentiſſimo Studio COLON. collecta, anno gratie MCCCCLXV. in vigilia purificationis B. Dei genitricis Marie Virginis glorioſiſſime impreſſa, finem acceperunt feliciter.*

Hic liber, ſi cuncta rite ſe habent, omnium antiquiſſimus eſt, qui poſt inventam artem typographicam extra Moguntiam anno editionis adjecto impreſſi fuerunt. E carceribus enim præli, haud dubie Colonienſis, An. 1465. in vigilia purificationis Mariæ, h. e. ipſis Calend. Febr.

(*) conf. WOLFII Monument. typogr. P. I. p. 410.

(*b*) vid. Biblioth. Rinckian. p. 426.

(*c*) ejus Syllogæ I. variorum Diplomatariorum, monumentorumque vett. ineditorum inſerto. p. 402.

Digitized by Google

Febr. emiſſus, atque adeo jam An. 1464. excudi cœptus, ætate ſuperat Lactantium in Monaſterio Sublacenſi anno eodem antepenultima Octobris die editum, qui hactenus pro omnium primo (*) habitus fuit libro, extra Moguntiam typis exſcripto, annique & loci nota inſignito. Iſthoc vero Kœlneri opus excudiſſe Zellium, qui primus artem typographicam Coloniæ exercuit, cenſeo, ipſo illius Viri boni ac fide non indigni teſtimonio permotus, quod ex ejus ore acceptum approbavit Chronographus Colonienſis, rei veritatem explorandi opportunitate haud deſtitutus, cuique hoc ipſo Kœlhofius, typographorum Colonienſium facile princeps, album adjecit calculum, quod Chronicon illud repetitis vicibus ex officina ſua in dias luminis auras, relatione illa nequaquam expuncta, vel obelo notata, emiſit.

Nondum ſane me eorum pœnitet, quæ in Diatriba mea p. 31. cum Lactantii in Monaſterio Sublacenſi An. 1465. typis excuſi, aliatumque vetuſtiſſimarum editionum mentionem feciſſem, ſcripſi: *Quid vero, ſi dixero, teſtimonio boni Viri nixus, ante omnes has editiones; vel eodem ſaltem tempore Zellium noſtrum Coloniæ nonnulla excudiſſe, quæ vel plane interciderunt, vel adhuc alicubi latent, vel nomine, loco & anno tacito, prodierunt, cum haud pauci adhuc ſuperſint libri, omnibus primæ antiquitatis notis inſignes, ſed typographi, loci ac temporis indicio deſtituti? qui mos Zellio præſertim noſtro familiaris fuiſſe videtur, cujus nomen pauculi admodum libri adſcriptum habent, cum tamen artem ſuam Coloniæ tam longo temporis ſpatio exercuerit.*

OBS.

(*) Sibilo enim, vel ſcutica potius, excipiendus eſt infamis ille impoſtor, qui neſcio cujus Helwici librum de exemplis & ſimilitudinibus rerum in Monaſterio Sublacenſi A. 1464. excuſum eſſe doloſe effinxit. vid. ***CLEMENT. Biblioth. cur. hiſtor. & crit.*** Tom. IX. p. 380. ſq.

Digitized by Google

OBS. VI.

DE
CONR. SCHWEINHEIM ET ARN. PANNARZ PRIMIS TYPOGRAPHIS ROMANIS.

Fato literis propitio factum eſt. ut mature ſatis typographia e Germania Romam deferretur. In illa enim civitate optimi, publicaque luce digniſſimi auctores, quos Vaticana potiſſimum Bibliotheca aſſervabat, in promtu erant, nec deerant Viri ingenio & doctrina excellentes, quorum ope & conſiliis nobile illud Germanorum inſtitutum feliciſſime promoveri poterat.

Laudibus inprimis cumulandum eſt ſtudium Joannis ANDREÆ, Epiſcopi Alerienſis, & Vaticanæ Bibliothecæ Secretarii, Viri bono publico nati, (*) qui non ſcripta modo præſtantiſſima ex illa Muſarum æde lubens iſtis ſubminiſtrabat, verum prælo etiam eorum, in amplo licet honorum gradu poſitus, præeſſe, utque illa, quantum fieri poterat, emendatiſſima in lucem prodirent, omni niſu curare haud dedignabatur.

Illi autem ſciti librorum imprimendorum artifices, qui primi Romæ ac in Italia divinam artem exercuere, fuerunt Conradus Schvveinheim

(*) De ipſo vid. Philippi BONAMICI, qui vero eum minus recte Jo. Antonium vocat, Lib. de claris pontificiarum epiſtolarum ſcriptoribus, p. 201. ſq. unde diſcimus, illum de BUXIS cognominatum, patria Viglevanenſem, mortuum eſſe An. 1475. prid. Non. Febr. cum vixiſſet A. 57. m. 6. d. 12.

Digitized by Google

heim & Arnoldus Pannarz, inſigne Germanorum par, quorum ille cognomen ſuum haud dubie iſtius ævi more a natali ſolo adſcivit, cum Schvveinheim villa ſit territorii Moguntini, quæ hodie vocatur Schvvanheim, quod obſervavit SCHWARZIUS Parte III. Document. de origine typogr. p. 7. Utrumque ex Fauſti & Schœfferi officina prodiiſſe, quis ambigat?

Antequam ipſam adirent Romam, aliquantiſper in Monaſterio Sublacenſi ſubſtitere, utpote quod ea tempeſtate Monachi Germani, teſtante Card. QUIRINO, incoluere. Ibi A. 1465. Lactantium, Ciceronem illum Chriſtianum, ceu artis ſuæ primitias, in manus hominum eruditorum felici auſpicio dederunt. Nam licet in illa principe editione (†) nomen typographi expreſſum haud ſit, noſtris tamen eam acceptam eſſe referendam, nos dubitare non ſinit teſtimonium, omni exceptione majus, Jo. ANDREÆ, Alerienſis Epiſcopi, qui in epiſtola, Lactantio Romæ per eosdem Anno 1470. excuſo præmiſſa, his inter reliqua verbis ad Paulum II. utitur: *Sumant igitur ſtudioſi abs Te hoc tempore per noſtros ingenuos opifices Lactantium Firmianum ſemel ab iis, iterumque impreſſum prius, nonnullis in locis profecto veriorem.*

Duæ vero duntaxat hanc præceſſerunt Lactantii editiones, prima in Monaſterio Sublacenſi A. 1465. altera Romæ A. 1468. curata. Cumque Auguſtinus de Civitate Dei A. 1467. ſine loci ac typographi indicio iisdem, quibus Lactantius, typis ſit exſcriptus, illum pariter in Monaſterio Sublacenſi per eosdem impreſſum eſſe, nemo facile in dubium revocabit. Primus liber, quem poſt Donatum vel rudimenta grammatica luci data, Romæ A. 1467. excuderunt, erant Ciceronis epiſtolæ familiares.

Nitidiſſimas eſſe eorum editiones, ſive chartam, ſive typos, eosque fuſiles, conſideres, eo confidentius aſſeverare poſſum, quod ante oculos mihi ex Bibliotheca noſtra publica verſatur BESSARIO-

G NIS

(†) Perperam in Catal. Biblioth. Hulſianæ Tom. I. p. 17. editio Romana A. 1468. pro omnium prima venditatur.

Digitized by Google

NIS, Cardinalis Sabini, & Patriarchæ Conſtantinopolitani, opus adverſus Calumniatorem Platonis, ab iis ſine anni quidem indicio impreſſum, quem tamen fuiſſe annum 1469. ſuo loco demonſtrabo.

Singulare illis eſt, quod ſemper ſ longum in vocum fine uſurpent, & literæ *i* ſupernum punctum haud imprimant. Luculentus ille literarum character, quo primi uſi ſunt, cum Moguntini Semygothico uterentur, a loco, ubi ſedem fixerunt, *Romani* nomen accepit, quem ad eorum exemplum in Germania, quod ego quidem ſciam, primus uſurpavit Gintherus Zainer, typographus Auguſtanus, in Iſidori Originibus A. 1472. excudendis.

Cæterum, ut verbis MAITTAIRII utar, Græcæ eorum literæ, quibus apoſpaſmatia auctoribus Latinis inſperſa expreſſere, ſunt grandiore aliquantulum ſpecie, æquabili & rotundiore formatura, planoque & nativo ductu effictæ, nudæ prorſus, & omni accentuum ſpirituumque apparatu deſtitutæ, ſeorſim ſingulæ, ac nullis ligaminibus inter ſe cohærentes, nullaque abbreviandi artificioſa methodo conſtrictæ: nihil omnino lectionem reddit perplexam, niſi quod plures aliquando voces nullo interjecto ſpatio continuatæ, & periodi nullo ſæpe aut perperam interpoſito puncto diſtinctæ, lectorem, ubi finito ſenſu ſubſiſtat, dubium (niſi qui Manuſcriptis aſſueverit) aliquantisper retardent.

Cunctas eorum editiones eſſe longe rariſſimas, ac inter illuſtrium Bibliothecarum cimelia referendas, ipſa teſte experientia, nemo rerum intelligens diffitebitur (††): copioſa itaque illarum recenſio omnibus, quibus literæ curæ ſunt cordique, non poteſt non eſſe gratiſſima.

Quum

(††) *Toutes les Editions de Rome imprimées chez Conrad Sweinheim & Arnold Pannarz ſont d'une grande rareté. Celles-là ſont ſur tout extrêmement rares, dont il n'a tiré que 275. Exemplaires*, judice Davide CLEMENTE Tom. IX. *de la Biblioth. Cur. & hiſtor.* p. 115.

Digitized by Google

Quum noſtri Germani typographi Romæ feliciter nacti fuerint Mæcenates par nobile fratrum, Petrum & Franciſcum de Maximis, in quorum domo prǽla ſua collocare ipſis licuit, obſervo, Maximorum familiam inter antiquiſſimas Urbis referendam, eorumque ædes, picturis, ſtatuis & Codicibus MSS. ſuperbientes, ſub noſtri, quod vivimus, ſæculi auſpicia Muſis Gratiisque jucundum adhuc præbuiſſe hoſpitium, cujus rei teſtis eſt ocularis Bernh. MONTFAUCONIUS in Diario Italico p. 255.

Eſt mihi in promtu opus ſplendidum, tabulis æneis conſtans, & hoc titulo inſignitum: *Palazzi di Roma de piu celebri Architetti diſegnati da Pietro Ferrerio Pittore & Architetto. Si vendono per Gio. Jacomo Roſſi all' inſegna di Parigi alla Pace.* in folio oblongo. In illo exhibetur etiam tabula ænea Palatii Maximorum, cui hæc verba ſubjecta ſunt: *Il famoſo Palagio de SS. Maſſimi alla Valle Fu Architettura del celebre Pittore & Ingeniero Baldaſſare Peruzzi de Siena nel MDXXXII.*

Addo, quæ de hoc inſigni Maximorum palatio commemorantur in libro, cui titulus eſt: *Ritratto di Roma moderna*, p. 239. edit. Rom. A. 1652. in 8. *Qui appreſſo* (ſcilicet prope ædem S. Pantaleonis) *e'l nobil palazzo dell' Illuſtriſſima fameglia de Maſſimi, & ha portico adorno di colonne di pietra, con vaghi ſtucchi, architettura mirabile di Baldaſſar da Siena; oue in poco ſpatio ſono tre Cortili, ha chiari lumi, molti baſſi relieui, belle ſtatue, e vaghe fontane; e nelle ſtanze vi ſi vedono ſuperbiſſimi quadri, e le pitture ne' muri ſono di Daniele da Volterra. E nelle caſe di Pietro de' Maſſimi gia nel 1455. ſotto Nicola V. fu la prima volta eſſercitata in Roma l' arte maraviglioſa detta Stampa; & i primi libri, che qui vſcirono alla luce, furono Sant' Agoſtino della Citta di Dio, e Lattantio Firmiano.*

Scribere debuiſſet auctor non anno 1455. ſub Nicolao V. ſed A. 1467. ſub Paulo II. primum Romæ in domo Maximorum exercitatam fuiſſe artem typographicam. Lactantius vero & Auguſtinus de

civitate Dei, quos primos typographiæ Romanæ fœtus nuncupat, ante jam in Monaſterio Sublacenſi excuſi fuerunt. Utrumque autem deinde uno eodemque anno 1468. Romæ Germani noſtri typographi recuderunt, cum ante jam ibidem A. 1467. Ciceronis Epiſtolas familiares impreſſiſſent.

Quod ſupereſt, operæ pretium mihi videtur, integram hic, excepta librorum ab artificibus noſtris ad annum usque 1472. impreſſorum deſignatione, ab Eminent. Card. QUIRINO jam ſuo loco recitata, repetere (*) Joannis ANDREÆ, Præſulis Alerienſis, ad Sixtum IV. Pontificem epiſtolam, Tomo V. Nicolai Lyrani Annotationum in divinum Codicem præfixam, cum Noſter duo tantum fragmenta ex illa exhibuerit, qua lecta mecum omnes literarum amantes iniquam typographorum, de orbe erudito immortaliter meritorum, ſortem fatique, quam experti ſunt, inclementiam dolebunt. En ergo tibi illam:

„Communis ac trita olim inter gentiles opinio fuit, Beatiſſime „Pater XYSTE IIII. Pontifex Maxime, cetera Diis, Deos ipſos, „duodecim etiam illos principes, ſelectos & magnos appellatos, uni „neceſſitati continuo paruiſſe. Eam enim inter numina omnia absque „provocatione imperioſum exercuiſſe magiſtratum. Id ne inter Chri„ſtianos quoque vere dici cenſeatur, tua potiſſimum ſapientia clemen„tiaque occurri poteſt, & ut digneris miſericorditer occurrere, ſer„vuli tuæ ſanctitatis Conradus Suveynhem & Arnoldus Pannarts, im„preſſores noſtri, ac utiliſſimæ hujus fictoriæ artis primi in Italia opi„fices, maximi in urbe operarii, ante ſanctiſſimos tuos pedes terram „veſtigiis tuis impreſſam deoſculantes, implorant. Namque ego ipſe, „creatura tua, cæteras epiſtolas proprio, hanc illorum nomine & „deceſſoris antea & poſtmodum tuo numini divino inſcripſi. Vox qui-

(*) ex BOXHORNII Diſſ. de typographicæ artis inventione, WOLFII Monument. typograph. Part. I. inſerta, p. 859. ſqq.

Digitized by Google

„ quidem impreſſorum ſub tanto jam chartarum faſce laborantium, & „ niſi tua liberalitas opituletur, deficientium, iſta eſt, Pater beatiſſime: „ Nos de Germanis primi tanti commodi artem in Romanam Curiam „ tuam multo ſudore & impenſa, deceſſoris tui tempeſtate, devexi- „ mus. Nos opifices librarios cæteros, ut idem auderent, exemplo „ noſtro invitavimus. Nos reliquis propter impenſarum magnitudinem „ a tanto negotio vel omnino vel maxima ex parte quaſi in ſalebra „ hærentibus, recentiore animo, viribusque geminatis cum ſumma „ difficultate reſtitimus. Jam tandem, defecti nervis & ſanguine, di- „ vinam opem tuam imploramus. Indicem ſi perlegeris impreſſorum a „ nobis operum, miraberis, tantæ majeſtatis & Apoſtolici culminis „ pater, vel chartas huic librorum copiæ potuiſſe vel lineamenta ſuffi- „ cere. Et ut perlegere valeas usque adeo curis pontificialibus diſtri- „ ctus, nihil aliud hæc epiſtola continebit. Nam, auditis nominibus „ tantorum auctorum duntaxat, facere non poteris, ſi bene tuam pie- „ tatem novimus, quin ſtatim nobis ſubvenias; nec ulla rerum qua- „ liumcunque occupatione difficultateve valebis deterreri. Impreſſi ſunt, „ Pater beatiſſime, noſtro ſtudio libri, qui in ſubjectis ſuo ordine tibi „ recenſebuntur.

Hic exhibetur elenchus operum ab ipſis excuſorum.

„ Horum omnium voluminum ſumma, ut tua pietas perſpicit, „ Pater beatiſſime, niſi fallimur, efficit Codices duodecies mille qua- „ dringentos ſeptuaginta quinque, acervum quidem ingentem & nobis, „ impreſſoribus tuis, ad ferendum, qua parte reſtat, intolerabilem, „ propter eam, quam in initio epiſtolæ poſuimus, neceſſitatem. Nam „ ingens ſumtus ad victum neceſſarius, ceſſantibus emtoribus, ferri „ amplius a nobis nequit. Et ementes non eſſe nullum eſt gravius teſti- „ monium, quam quod domus noſtra, ſatis magna, plena eſt quinter- „ nionum, inanis rerum neceſſariarum. In Te igitur, clementiſſime Pa- „ ter, qui & ſapientiſſimus doctiſſimusque, ſpes noſtra ſita eſt, in te „ ſubveniendi noſtræ neceſſitati eſt copia, ne pereamus. Da nobis „ ſubſidium de excelſo throno majeſtatis tuæ. Parati ſumus pro cle- „ mentiæ tuæ arbitrio de noſtra merce, id eſt, de impreſſis quinter- nioni-

Digitized by Google

„nionibus noſtris, tibi tot tradere, quot volueris, & quibus volueris. Tua incredibilis manſuetudo ſubveniat nobis de aliquo officio, unde poſſimus nos & noſtros alere. Impenſa eſt facta in ſolius Nicolai de LYRA a nobis voluminibus tanta, ut amplius nihil nobis ſuperſit ad vivendum. Si venderemus opera noſtra, non ſolum a tua pietate nihil peteremus, ſed ultro in præſentium temporum articulo, in quo te plurimum egere non neſcimus, ipſi noſtra offerremus. Faciemusque, quotiens tuo adjumento fortuna nobiſcum uſa videbitur fronte ſereniore.

„Interea, Pater ſancte, adjuvent nos miſerationes tuæ, qui pauperes facti ſumus nimis. Sis perpetuo ſoſpes & felix, Pater beatiſſime. Romæ XX. Martii MCCCCLXXII. Pontificatus tui clementiſſimi anno primo.

Bis Epiſcopus Alerienſis quinternionum meminit. Hinc perſpicimus, ſolemne etiam fuiſſe typographis illis Romanis, chartas non in quaterniones, ſed quinterniones complicare, quod ex ipſo etiam BESSARIONIS opere adverſus Calumniatorem Platonis, ab iis excuſo, didici. Morem hunc ex officina Moguntina, in qua tyrocinia ſua poſuere, adoptarunt: quod quare hic moneam, ex iis, quæ in Diatriba mea de antiquiſſima Bibliorum Latinorum editione p. 25. diſſerui, apparet. Interim vero in Bibliotheca Carthuſiæ Buxienſis luſtrare etiam mihi licuit rariſſimum illud Catholicon, Moguntiæ A. 1460. typis exſcriptum, quod pariter quinternionibus conſtare deprehendi.

OBS.

Digitized by Google

OBS. VII.

DE

ULRICO GALLO SECUNDO TYPOGRAPHO ROMANO.

NOn ita multo poſt Conradum Schvveinheim & Arnoldum Pannarz Romam acceſſit, artem typographicam exercitaturus, homo itidem Germanus, Udalricus Gallus, alias Han. Alamannus ex Ingelſtat, civis Viennenſis, prout nomen ipſe ſuum ſubſcripſit Alberti de Eub Margaritæ poeticæ, Romæ Anno 1475. impreſſæ, qui liber cum pluribus aliis ex ejus officina divulgatis in publica noſtra Bibliotheca aſſervatur.

Audiendi non ſunt, qui hunc ante illos primum Romam invexiſſe typographiam perhibent. Iis enim reclamat Præſul Alerienſis, in præfationibus ſuis plus ſemel publice Conrado & Arnoldo palmam dans, absque ulla contradictione vel Udalrici Galli, vel Jo. Antonii CAMPANI, Epiſcopi Teramenſis, Viri in elegantioribus literis verſatiſſimi, qui huic eandem, quam illis Joannes ANDREAS Alerienſis, operam præſtitit.

Præterea cum illi jam A. 1467. Ciceronis epiſtolas familiares excuderint, nullum opus ab hoc impreſſum ante Ciceronis de Oratore libros extat, qui ſub finem demum anni 1468. die quinto nempe menſis Decembris ex ejus officina prodierunt (*d*).

Primas igitur Conrado jure defert Hieronymus LILIUS (*Giglio*) in *Nuova ſeconda Selva di varia lettione, che ſegue Pietro* MESSIA, Part.

(*d*) vid. MAITTAIRE Annal. typogr. Tom. I. p. 280. edit. II.

Digitized by Google

Part. I. Cap. XII. ubi etiam Joanni Guttenbergio & Moguntiæ inventæ artis gloriam tribuit, cujus en verba: *Non per altro ho poſto queſto Capitolo, ſe non perche ſi ſappia il nome di colui, che ritrovò il ſtampare, perciocche il Meſſia, non ſo per qual cagione, lo taceſſe. Il ſtampare di libri adunque fu ritrovato in Moguntia, Città di Germania l' anno 1442. da Giovanni Cuthembergo Todeſco, & Cavallieri, & ivi primieramente queſta arte celeberrima comincio ad eſſercitare, havendo ancho ritrovato l' inchioſtro, il quale inſino a queſto tempo uſano gli Stampatori. L' anno poi 1458. Corradopure Todeſco la portò primieramente in Italia, & ſtampò in Roma, nella caſe de' Maſſimi, & il primo Libro, che ſtampaſſe, fu Agoſtino della Città d' Iddio, & io ne viddi uno in Roma nella Libraria del Rev. Veſcovo di Sarno, il Signor Lodovico Gomes Spagnuolo, huomo di dottrina ſingolare* &c.

Quum Auguſtinum de civitate Dei Romæ A. 1468. a Conrado & Arnoldo impreſſum ipſe in Bibliotheca Ludovici Gomeſii viderit LILIUS, eumque pro primo libro ab iis Romæ excuſo habuerit, ille ſine omni dubio Conradum Germanum Romam A. 1468. primum typographiam invexiſſe ſcripſit, pro quo hallucinans typotheta mendoſe A. 1458. poſuit.

Exacta librorum Udalrici Galli typis excuſorum recenſio integrum volumen expoſceret. Ego de uno duntaxat ſpeciminis cauſa ſermonem hic faciam, Plutarchi nempe Vitis illuſtrium Virorum, quæ cum CAMPANI ad Piccolomineum Cardinalem epiſtola (*e*) in lucem duobus voluminibus formæ maximæ, haud quidem indicato anno, loco ac typographo, prodierunt, ſed cum CAMPANUS Udalrici Galli prælo uti, eumque conſiliis juvare, ac libros excudendos ipſi ſuppeditare conſueverit, nemo hoc opus ex hujus officina, præſertim cum typi id confirment, prodiiſſe dubitat (*f*).

Quan-

(*e*) quæ etiam exſtat inter epiſtolas CAMPANI, cura Jo. Burch. MENCKENII Lipſiæ A. 1707. in 8. recuſas, p. 546. ſqq.

(*f*) conf. MAITTAIRE Annal. typogr. Vol. I. p. 293. edit. II.

Digitized by Google

Quantumvis longe rariſſima ſit hæc editio, ac in Bibliotheca
[illegible]niana Hagæ Comitum A° 1723. ſub haſta plus licitantibus ven-
[illegible]atorem pro centum & quinquaginta florenorum pretio repererit,
[illegible]s tamen ejus exemplaribus ſuperbit Bibliotheca noſtra publica.

In exemplaris Dalmanniani, ſi catalogo (g) fides habenda,
[illegible]gebatur notum hexaſtichon editionibus Udalrici Galli ſubjungi
[illegible]n.

Anſer Tarpeji cuſtos Jovis, unde quod alis
Obſtreperes, Gallus cecidit, ultor adeſt.
Huldricus Gallus, ne quem poſcantur in uſum,
Edocuit pennis nil opus eſſe tuis.
Imprimit ille die, quantum vix ſcribitur anno,
Ingenio, haud noceas, omnia vincit homo.

In utroque autem noſtro exemplari iſtud fruſtra quæſivi.

Ex epiſtola CAMPANI ad Franciſcum Card. Piccolomineum elucet, eum collegiſſe vitas Plutarchi diſperſas, ac a variis interpretibus in latinum ſermonem converſas, quorum en tibi nomina. Sunt illi Franc. Philelphus, Jo. Tortelius, Lapus Biragus Florentinus, Donatus Acciajolus, Guaronus Veronenſis, Antonius Tudertinus, Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Leonardus Juſtinianus, & Peregrinus Allius.

Has Plutarchi vitas quin CAMPANUS Udalrico Gallo excudendas ſubminiſtraverit, nullus equidem dubito: ſed ipſum excellentis doctrinæ virum adſtitiſſe prælo, & mendis typographicis emaculandis operam dediſſe, vel recognoviſſe ſaltem chartas, jam ab aliis correctas, credat Judæus apella. Nam ſcatet vitiis hæc editio, pudendis inſuper ſo-

(g) pag. 126.

Digitized by Google

ſoloecismis deturpata, quos CAMPANUM admiſiſſe prorſus incredibile eſt.

In pleriſque enim vitarum titulis aſſeritur, eas in Latinum tradu&tas eſſe *linguagium* (manifeſto ſcilicet Italiciſmo). Quis, quæſo, hunc barbarum loquendi morem ab elegantiſſimo CAMPANO profectum eſſe, vel ſomnians ſibi perſuadeat? Epiſtolæ vitarum nuncupatoriæ ad unam omnes carent nominibus eorum, quibus illæ dicatæ ſunt, ut plane neſcias, quem interpretes alloquantur, & laudibus in iis extollant.

Integrum opus hoc titulo inſignitum eſt: *Plutarchi hiſtoriographi greci Liber de Viris clariſſimis, e Greco ſermone in Latinum diverſis plurimorum interpretationibus virorum illuſtrium translatus incipit.* Et tamen inter haſce biographias exhibetur etiam Vita Pomponii Attici, a Cornelio Nepote ſcripta, & Caroli Magni, Donatum ACCIAJOLUM auctorem agnoſcens: de utraque autem diſertis verbis, ſicut de aliis Plutarchi vitis affirmatur, eas eſſe e Græco ſermone in Latinum translatas: parachroniſmo ſane craſſiſſimo, præſertim quod ad vitam Caroli M. attinet. Hunc enim plus quam ſexcentis poſt Plutarchum annis vixiſſe, vel tyrunculi norunt. Donatus ACCIAJOLUS (*b*) ſua potiſſimum ex Eginharto hauſit. Factum tamen hinc eſt, quod mireris, ut Georgius WICELIUS, vir alioqui non indoctus, qui hanc biographiam Hagiologio ſuo f. 178. ſqq. inſeruit, eam ſe ex Plutarcho deſumſiſſe aſſereret, quo ipſo ſe ſalſe deridendum præbuit Ger. Jo. VOSSIO (*i*), Petro BÆLIO (*k*), & Langleto du FRESNOY (*l*), hoc nomine

(*b*) Orationem in hujus Viri, & dignitate & doctrina ſuo ævo fulgentiſſimi, funere a Chriſtophoro Landino dictam Franciſcus SANSOVINUS inſeruit Part. I. *delle Orationi volgarmente ſcritte da molti huomini illuſtri* p. 150. ſqq. edit. Venet. 1575. in 4.

(*i*) Lib. II. de Hiſtoricis Latinis p. 299. & Lib. III. p. 624.

(*k*) *Diction. Hiſtor. & Crit.* Tom. I. p. 41. edit. V.

(*l*) *Methode pour etudier l' Hiſtoire augmenté par J. B.* MENKE pag. 461. edit. Lipſ. 1714.

Digitized by Google

mine etiam jure inter Solœciſtas literarios primi ordinis referendus (*m*).

Poſt Pomponii Attici vitam exhibetur, ſi titulo fides habenda foret, vita Ruffi, viri clariſſimi, cum tamen revera ſit Rufi Sexti, quem alii Feſtum appellant, Breviarium de victoriis ac provinciis populi Romani ad Valentinianum II. Auguſtum, de quo videſis FABRICII Biblioth. Lat. Vol. I. p. 611.

Vitam Homeri excipit vita Virgilii, Viri clariſſimi, quæ ſane minime Plutarchum agnoſcit auctorem, ſed potius Tiberium Claudium Donatum, uti ex longe nitidiſſima Pancratii MASVICII editione operum Virgilii, Leovardiæ A. 1717. in 4. juris publici facta, cui illa cum notis Jo. Frid. GRONOVII præfixa eſt, cognovi.

Commentariis Academiæ Regiæ Pariſienſis Inſcriptionum & elegantiorum literarum inſerta eſt vita Franciſci PHILELPHI, a LANCELOTO egregie deſcripta (*n*). Ex ea comperi, hanc Plutarchi editionem A. 1471. in lucem prodiiſſe, ac PHILELPHUM in epiſtola ad Jo. ANDREAM, Epiſcopum Alerienſem, exarata, varia in illa carpſiſſe.

Ita enim inter reliqua LANCELOTUS (*o*): *En publiant les Vies de Plutarque en 1471. on y avoit inſeré ſa Traduction des Vies de Lycurgue, de Numa-Pompilius, de Galba & d' Othon; & on lui avoit attribué celles de Thesée & de Romulus. On a une Lettre de lui* (Philelphe) *du 20. Octobre de la même année 1471. où il deſavoue ces derniéres, dont il dit que Lapus de Florence, qui avoit été ſon écolier, eſt Auteur, de mé-*

H 2

(*m*) conf. ſi placet, Amœnit. liter. Tom. V. p. 41.

(n) *Memoires de Litterature de l' Academie Royale des Inſcriptions & Belles-Lettres.* Tom. XV. p. 531. ſqq. edit. Amſterod.

(o) pag. 597.

même, que de quelques autres dont on faiſoit honneur, dans cette même edition, à Antoine de Todi auſſi ſon ecolier, mais fort inferieur à Lapus pour l' eſprit & pour la ſcience: il ajoûte que l' Editeur s'eſt encore trompé, en donnant à Jacques Angelus (*p*) *les Vies d' Alexandre & de Céſar, & celle de Ciceron à Leonard-Aretin. Pour celles qu'on attribue à Donat, en rende témoignage, & ſon temoignage ſera ſincere. Qu'au reſte il y a pluſieurs de ces traductions, qui ſont mauvaiſes, & qu'il, faut que lui Evêque d' Aleria ait beaucoup d' attention à ce que les fautes des autres ne le faſſent errer lui-même.* Scilicet ipſe quoque Joannes ANDREAS novam Plutarchi editionem adornare cogitabat, quod vero inſtitutum non proceſſit.

A PHILELPHO præterea poſtulaverat ejus verſionem Cyropædiæ Xenophontis, prælo Conr. Schvveinheimii & Arnoldi Pannarzi ſubjiciendam, laudatus Præſul Alerienſis, cujus induſtriam in emendandis libris antea PHILELPHUS in alia epiſtola ita prædicavit: *Ingenuum laborem tuum & exquiſitum ſtudium in iis codicibus emendandis vel inſtaurandis potius, qui per novos artifices pulcherrime imprimuntur, non ſolum probo, verum etiam & egregie laudo, & admiror plurimum.*

Cæterum eo ipſo anno 1471. quo prodiit Romæ Plutarchus, CAMPANUS in comitiis Ratisbonenſibus in comitatu Franciſci Piccolominei, Cardinalis Senenſis, juſſu Pauli II. verſatus eſt, quod ex vita ejus a Mich. FAÆNO & NICERONIO deſcripta, nec non epiſtolis

(*p*) Neſcio, quid hic ſibi velit PHILELPHUS. In neutro enim noſtrorum exemplarium translatio vitarum Alexandri & Cæſaris Jacobo Angelo, ſed Guarino adſcribitur, verſio autem vitarum Lycurgi & Numæ Pompilii Lapo Florentino, ac Romuli Jo. Tortelio, non Philelpho tribuitur, niſi fortaſſis alia, quod hactenus ignotum fuit, Plutarchi editio hanc noſtram anteceſſerit, præſertim cum in Bibliothecæ Dalmannianæ exemplari, cujus ſupra memini, ſub finem noti verſus: *Anſer Tarpeji* &c. exſtiterint.

Digitized by Google

Fig. VI. ad pag. 61.

Et oſtendit michi fluuiū a-
que viue ſplēdidū tāq̄ʒ cri-
ſtallū: ꝓcedentē de ſede dei ⁊ ag-
ni. In medio platee eiꝰ ⁊ ex vtra
qʒ parte fluminis lignū vite affe-
rens fructꝰ duodecim: ꝑ mēſes
ſinglos reddēs fructū ſuū: et fo-
lia ligni ad ſanitatē gentiū. Et
omne maledictū nō erit ampliꝰ:
ſed ſedes dei et agni in illa erūt:
et ſerui eius ſeruiēt illi. Et vide-
būt faciē eius: et nomē eius in
frōtibʒ eorꝝ. Et nox vltra nō erit:
⁊ nō egebūt lumine lucerne ne-
qʒ lumīe ſolis quī dn̄s deꝰ illu-
minabit illos: et regnabūt ī ſe-
cula ſeclorꝝ. Et dixit michi. Hec
verba fideliſſima ſunt et vera.

G. L. Oſterrey ſc. Lindaviæ.

Digitized by Google

ſtolis CAMPANI & JACOBI CARD. PAPIENSIS apparet, atque adeo abſens curam recognoſcendi Plutarchi gerere non potuit. Suppeditavit quidem typographo ſuo, Udalrico Gallo, vitas Plutarchi in Latinum converſas ſermonem, & ſtudioſe ab ſe collectas, provinciam autem eas digerendi & emendandi ſine dubio vel ipſe, vel typographus alii impoſuit, qui illam negligentiſſime adminiſtravit, & quædam imprudenter infarſit, ad Plutarchum minime pertinentia. Hinc illæ lacrimæ.

Tandem obſervo, Udalrici Galli officinam tum nondum Græcis fuiſſe typis inſtructam, atque adeo in vita Virgilii, & quibusdam epiſtolis interpretum nuncupatoriis, ubi Græca occurrunt, alibique ſpatia vacua fuiſſe relicta.

OBS. VIII.

SPICILEGIUM DE ANTIQUISSIMA ET OMNIUM PRIMA LATINORUM BIBLIORUM EDITIONE.

Haud ita dudum ſingulari diatriba inſigne hoc cimelium literarium deſcripſi. Neque vero hac occaſione illud poſſum dimittere plane intactum. Præſertim operæ viſum eſt pretium, ejus exhibere ſpecimen in æs inciſum, nempe Apocalypſeos capitis ultimi verſus priores. Fig. VI. Nec ſilentio prætervehere queo, ſplendidum exemplar hujus editionis principis & ipſa raritate rarioris, idque integrum, ac tribus maximæ formæ voluminibus comprehenſum, ceu nobiliſſimam gemmam, incomparabilem Bibliorum theſaurum a Sereniſſima Duce Brunsvico-Luneburgenſi vidua ELISABETHA SOPHIA MARIA, maximis ſumtibus & ſtudio pia Principe digno feliciter conquiſitum ornare,

Digitized by Google

quod interim ex Ven. KNOCHII Recenſione inſignis illius collectionis hiſtorico-critica (*Hiſtoriſch Critiſchen Nachrichten von der Braunſchweigiſchen Bibelſammlung*) p. 714. ſqq. cognovi (*q*)

BUNEMANNUS per tranſennam tantum editionem hanc inſpexiſſe videtur: alias certe pro eximia, qua polluit, rei literariæ ſcientia primas illi inter omnes Latinorum Bibliorum editiones merito tribuiſſet, nec eam alii editioni vetuſtæ, duobus primæ magnitudinis voluminibus conſtanti, quæ ex ipſius Bibliotheca in Ducalem tranſiit, quamque laudatus KNOCHIUS l. c. p. 715. ſqq. recenſuit, poſtpoſuiſſet.

Præterquam enim quod noſtra quoque editio omnibus illis antiquitatis characteribus ſuperbiat, quos in ſua deprehendit BUNEMANNUS, ſunt quædam in illa ſingularia primæ vetuſtatis indicia, quæ in hac non occurrunt.

Scilicet rubricæ prologorum ac librorum initiales & finales non ſunt impreſſæ, ſed calamo miniato adſcriptæ: vocali *i*, loco puncti rotundi, vel accentus Græcorum acuti, ſuperior pars circelli dimidiati impoſita eſt, quod in priſcis Miſſalibus & Pſalteriis uſu veniſſe, interea didici.

Præſertim vero nota illa characteriſtica, qua ab omnibus aliis editionibus biblicis diſtinguitur, eſt inſignita, quod nempe typis Miſſalibus (*) exſcripta ſit: cujuſmodi typis editionem Bibliorum Latinorum, imo

(*q*) Volumen II. quo meum exemplar deſtitui dolens repeto, foliis 310. abſolvitur. Neque vero illius facile aliquando potiundi, licet fortuna libraria alias ſatis favente utar, ſpes mihi ſupereſt, cum haud dubie, utpote Pſalterium typis miſſalibus excuſum continens, in aliquo choro, quem vocant, monachorum manibus ac diuturno uſu pridem detritum ac internecioni datum fuerit.

(*) In mea Diatriba p. 10. dixi, Biblia noſtra typis miſſalibus excuſa eſſe haud dubie ad normam nonnullorum Codicum MSS. hujusmodi literis

Digitized by Google

imo librorum omnium primam ac antiquiſſimam excuſam eſſe teſtis eſt coævus & ocularis Ulricus Zellius, Hanovienſis, uti ex ejus ore retulit vetus Chronographus Colonienſis.

Hoc autem potiſſimum minime omnium a BUNEMANNO perſuaderi mihi patiar, Biblia noſtra ex prælo Joannis de Colonia & Jo. de Gerrezem, qui intra A. 1470. & 1480. Venetiis artem typographicam exercuerunt, profecta eſſe. Quis enim, ſodes, unquam fando audivit, vel unicum librum Venetiis ac in omni Italia typis e ligno aut ære ſculptis excuſum fuiſſe? Noſtra vero Biblia hujusmodi characteribus eſſe exſcripta, ipſe conſpectus evincit: de quibus notandum adhuc duxi, ſub finem tertii voluminis in ultimis plagulis literarum quarundam ductus, ob typos longo uſu nonnihil detritos, calamo fuiſſe renovatos.

Quod ſupereſt, monitu Cel. D. Jo. Aug. ERNESTI, Lipſiæ ſuæ ornamenti, (r) ſpeciminis gratia lectiones nonnullas noſtræ editionis antiquiſſimæ ex N. T. afferre viſum eſt, collatis ſimul aliis duabus editionibus pervetuſtis. Primæ mentionem jam in nupera mea Diatriba p. 19. ſq. feci, interim vero obſervavi, Miniarium, qui rubricas ſcripſit, initio præfationis Hieronymi in Pentateuchum manu ſua notam anni 1473. adjeciſſe.

Altera autem editio in majori folii integri forma An. 1475. fine loci ac typographi indicio prodiit, diligentiſſimo Jacobo LE LONG incognita, (s) cujus exemplar etiam in Bibliotheca Ducali

teris exaratorum. Nunc moneo, ejus generis Codicem MS. Bibliorum membranaceum maximæ formæ Bibliothecam Ducalem Brunsvicenſem ornare, teſte Cl. KNOCHIO l. c. p. 698.

(r) *in der Neuen Theologiſchen Bibliothec*, Part. VII. p. 661.

(s) MAITTAIRIUS in Annalibus ſuis typographicis ad An. 1475. meminit Bibliorum Latinorum, duobus voluminibus ſine typographi ac loci nota

li Brunſvicenſi aſſervatur, a Cl. KNOCHIO l. c. pag. 756. ſqq. deſcriptum (*t*).

Singulare habet hæc editio, in nulla alia, quod ſciam, adhuc deprehenſum, quod Pſalterium Davidis CLXXI. Pſalmis abſolvatur, & numeris quidem typo, non calamo, expreſſis. Scilicet ex unico Pſalmo CXVIII. vel juxta Hebræorum computationem CXIX. pſalmos XXII. editor effinxit.

In tranſcurſu quoque animadverti, in Pſalmo CXXXV. vel ſecundum Hebræos CXXXVI. quem CLVI. inſcripſit typograhus, ubi in ſingulis verſibus repetitur: *quoniam in æternum miſericordia ejus*, hæc verba tantum in primo & ultimo verſu eſſe expreſſa, in reliquis vero 25. non niſi vocem *quoniam*, cæteris abſorptis, legi: e. c. in v. 2. *Confitemini Deo Deorum, quoniam:* & ſic deinceps.

Sed en tibi jam lectionum quarundam ſpecimina, in quibus proferendis ita verſabor, ut primam editionem nota A. alteram anni 1473. B. ac tertiam anni 1475. C. ſignificatam velim.

Matth. V. 29. A. B. C. *mittatur in iebennam ignis. Jebennam* etiam ſingulæ habent v. 22. & 30. nec non A. & C. Matth. XVIII. 9. & XXIII. 15. 33. Omnes autem Marc. IX. 14. 16. Luc. XII. 5. & Jac. III. 6. *gebennam*. Obſervat BENGELIUS in Apparatu Critico p. 457. ad Matth. V. 22. *iebenne* pro *gebennæ* habere MS. Lat.

---

nota editorum. Et poſſet ſane Volumen noſtrum ſupra modum ſpiſſum concinne in duo ita disjungi, ut alterum a Proverbiis Salomonis inchoaretur.

(*t*) Obſervavit Vir doctiſſimus, typos horum Bibliorum Fauſtianis & Schœfferianis perquam eſſe ſimiles, & chartam ſignis capitis bubuli, & majoris litteræ D. quam linea longa tranſit, notatam, id quod & ego in meo exemplari animadverti.

Digitized by Google

Lat. Trevir. paſſim, id quod Francogallum, eumque perantiquum videatur prodere librarium.

Matth. VI. 5. A. & C. & cum oratis, non *eritis hypocritæ.*

v. 13. A. B. C. *Amen* cum doxologia non habent.

Matth. VIII. v. 18. A. B. C. juſſit *diſcipulos* ire trans fretum.

v. 25. A. C. acceſſerunt ad eum *diſcipuli* ejus.

v. 28. A. B. C. & cum veniſſet *Jeſus.*

v. 31. A. B. C. ſi ejicis nos *hinc.*

v. 32. A. B. C. *magno* impetu abiit.

v. 33. A. B. C. nunciaverunt *hæc* omnia.

Matth. IX. 1. A. B. C. Et aſcendens *Jeſus* in naviculam.

v. 21. A. B. C. & tenuit manum ejus, *& dixit: puella ſurge.*

v. 26. A. B. C. & exiit fama in univerſam terram. Nulla habet *illam.*

Matth. X. 2. A. B. C. Duodecim autem *Diſcipulorum* nomina.

Matth. XXIII. 14. A. B. C. habent verſum hunc: *Væ vobis —— accipietis judicium.*

Matth. XXIV. 36. A. B. C. non habent: *neque filius.*

Matth. XXV. 1. A. B. C. ſponſo *& ſponſæ.*

Matth. XXVII. 35. 36. A. B. diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes, & ſedentes ſervabant eum. Neutra habet allegationem loci ex Pſalm. XXII. 19. C. autem habet.

v. 37. A. B. C. Hic eſt Rex Judæorum, omiſſo nomine *Jeſu.*

Marc. IV. In A. deſunt integri undecim verſus ab 11. ad 21. tota nempe expoſitio & applicatio parabolæ. Iisdem verbis: *& dicebat eis*, vel *illis* verſus 11. & 21. incipiunt. Hinc proclivis erat lapſus vel librarii, vel typothetæ.

v. 32. A. B. C. & cum *natum* fuerit, aſcendit *in arborem.*

Digitized by Google

Luc. I. 8. A. B. C. fungeretur *Zacharias*

v. 17. A. & B. & *incredibiles* ad prudentiam juſtorum.

v. 54. A. & B. *memorari* miſericordiæ ſuæ.

Luc. II. v. 15. A. B. C. & videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod *fecit* Dominus & oſtendit nobis.

v. 38. A. B. C. qui exſpectabant redemtionem *Jeruſalem.*

Luc. IV. 5. A. B. C. non habent *in montem excelſum.*

v. 7. A. B. C. Tu ergo *procidens* ſi adoraveris.

Luc. V. 25. A. B. C. tulit *lectum*, in quo jacebat.

v. 37. A. B. C. & *vinum* effundetur.

Luc. VI. 26. A. B. C. faciebant *prophetis* patres eorum.

Luc. XI. 2. 3. 4. A. & C. in oratione dominica, omittunt petitionem tertiam & ſeptimam. B. autem tertiam ſic habet: *fiat voluntas tua* & ſeptimam pariter omittit.

Luc. XII. 35. A. B. C. lucernæ ardentes, omiſſis verbis, *in manibus veſtris.*

Joh. III. 5. A. B. C. niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu *ſancto.*

Joh. XIV. 1. A. B. C. *Et ait diſcipulis ſuis.*

Act. XIV. 14. A. B. C. ſic deſervio patri *et* Deo meo.

Rom. XII. 11. A. B. C. *Domino* ſervientes.

Gal. V. 7. A. B. C. *Nemini conſenſeritis.* Perſuaſio hæc non eſt.

v. 13. A. B. C. per charitatem *ſpiritus* ſervite invicem.

v. 16. A. B. C. Dico autem *in Chriſto.*

Eph. I. 10. A. B. C. quæ in terra ſunt *in Chriſto.*

v. 15. A. B. C. quæ eſt in *Chriſto* Jeſu.

Philem. v. 1. A. B. C. dilecto adjutori noſtro; omiſſa copula *et.*

Jac. III. 9. A. B. C. qui ad *imaginem &* ſimilitudinem Dei facti ſunt.

v. 17.

Digitized by Google

v. 17. A. B. C. judicans ſine ſimulatione: omiſſa particula negativa *non* ante *judicans*.

Jac. IV. 1. A. B. C. *nonne* ex concupiſcentiis veſtris?

Jac. V. 13. A. B. C. Triſtatur autem aliquis veſtrum: *oret æquo animo, & pſallat*.

Ita quoque legitur hic verſus in veteri Codice Bibliorum formæ octuplicis in membrana tenuiſſima, eaque lævigata, literis minutulis Gothicis tam eleganter & concinne exarato, ut primo aſpectu non calamo ſcriptus, ſed æri inciſus eſſe videatur, perquam ſimilis elegantiſſimo undecimi ſæculi Codici Schmerlingiano, cujus ſpecimen tabula ænea expreſſum in Memorabilibus Civitatis Vindobonenſis (*dem Merckwürdigen Wienn*) Part. I. ad pag. 47. exhibetur.

Memorabilis hæc lectio a nemine, quod ſciam, ſi ERASMUM Roterod. excipiam, hactenus annotata fuit: imo hunc verſum plane in Apparatu ſuo Critico præteriit BENGELIUS. MILLIUS hoc unum obſervavit, in Vulg. poſt εὐθυμεῖ deeſſe τίς. Nec BAUMGARTENIUS in Examine variantium lectionum in Epiſtola Jacobi obviarum p. 53. huic quicquam adjecit. ERASMUS vero in annotationibus in N. T. quintum recognitis f. 744. hujusmodi editionem ob oculos poſitam habuit, hancque notam adſperſit: *Neſcio, an ſcriptor aliquis hunc locum depravarit, nam Græca longe ſecus habent*, κακοπαθεῖ τὶς ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω. εὐθυμεῖ τὶς; ψαλλέτω, i. e. *Affligitur aliquis inter vos? oret; æquo animo eſt aliquis? canat. Nimirum ut in rebus afflictis opem petamus a Deo, in rebus ſecundis gratias agamus Deo. Nam id vocat pſallere. Tametſi ſecus & legit & interpretatur Beda.*

Imo in cunctis aliis, quas quidem conferre mihi licuit, vetuſtis vulgatæ verſionis editionibus eandem lectionem deprehendi. Ita enim e. c. hic verſus legitur in perantiqua Bibliorum editione, tribus vaſtis maximæ formæ voluminibus anni locique nota haud inſignitis comprehenſa, & gloſſa, quam appellitant, ordinaria ac interlineari in margine

 & linea-

& linearum interſtitio inſtructa. Auctor gloſſæ ordinariæ, ſive is Walafridus STRABO, Rhabani MAURI diſcipulus, qui ſæc. IX. floruit, ſive alius fuerit, ſic etiam ſuo jam ævo legiſſe videtur. Ad verbum enim *Triſtatur* hæc annotavit: *Quia in preſſuris ingemiſcere probibuit, nunc, quid e contra gerendum ſit, oſtendit.* Voci autem *Oret* hanc notam adjecit: *Ne murmuret: ne judicia Dei vituperet, ſed ad eccleſiam currat flexis genibus, ut Deus conſolationem mittat, oret, ne ſæculi triſtitia, quæ mortem operatur, abſorbeatur, & crebra pſalmodiæ dulcedine nocivam triſtitiæ peſtem de corde pellat.* Eandem quoque lectionem inveni in editione Bibliorum, quæ Baſileæ A. 1491. typis Nic. Kelleri in fol. excuſa fuit, in illis item, quæ Lugduni ex prælo Jacobi Sacon A. 1522. & Pariſiis ex officina Joannis Preueli A. 1523. in forma octifariam complicata prodiere. In editione quidem primæ magnitudinis, quæ Lugduni in typographia Joannis Moylin alias de Cambray impenſis Stephani Gueynardi, alias Pineti, A. 1520. curata fuit, hic verſus ſic legitur: *Triſtatur autem aliquis veſtrum: & oret quo animo & pſallat.* Sed typothetæ oſcitantia noſtram lectionem hic depravatam eſſe quis non videt? Hinc in priſcis etiam Bibliis Germanicis hic locus ſic redditus eſt: *Iſt aber eüer eyner traurig, der bete mit ſchlächtem herzen, und pſalliere.* Duæ autem eorum editiones conſpirantes jam mihi ſunt ad manus, una Auguſtæ Vindel. in fol. maj. A. 1477. ſine typographi indicio, altera ibidem in fol. min. A. 1490. typis Joan. Schœnſpergeri curata. Parum itaque abeſt, quin ſuſpicer, conſtanter ſic legiſſe veteres. Mirum igitur, ac bis mirum, inter varias lectiones vulgati interpretis poſt Jo. HENTENII induſtriam a Theologis Lovanienſibus conquiſitas ne veſtigium quidem hujus lectionis comparere. Utor autem eximia editione, quæ Antvverpiæ ex officina Chriſtophori Plantini A. 1583. in 8. prodiit.

1. Petr. I. 23. per verbum Dei vivi & permanentis omittunt *in æternum.*

Cum multum præſertim ad genuinam lectionem Apocalypſeos dignoſcendam verſionem, quam vocant, vulgatam conducere D. BENGELIUS in Apparatu ſuo Critico p. 782. ſqq. cenſeat, haud piguit me, omnes lectio-

Digitized by Google

lectiones variantes trium, quos laudavi, vetuſtarum editionum, ab HENTENIO & cæteris Theologis Lovanienſibus prætermiſſas, hic exhibere.

Apoc. I. 7. A. B. C. & *tunc* plangent.

v. 11. A. B. C. non habent verba, *quæ ſunt in Aſia.*

Apoc. II. 10. A. B. C. Ecce miſſurus eſt diabolus ex vobis in carcerem. Omnes omiſerunt vocem *aliquos.*

Apoc. VI. 6. A. B. C. Bilibris tritici denario *uno* & tres bilibres hordei denario *uno.*

Apoc. IX. A. & C. non habent: *Græce autem Apollyon, Latine habens nomen Exterminans.*

Apoc. XI. 11. A. B. C. *intrabit* in eos.

v. 17. A. B. C. Deus *noſter* omnipotens.

A. B. C. incipiunt caput XII. a verſu, qui in editionibus recentioribus eſt decimus nonus ac ultimus capitis XI. *Et apertum eſt templum Dei:* quæ diſtinctio etiam BENGELIO placuit in Græco textu N. T. digerendo.

Apoc. XII. 9. A. C. qui *vocabatur* diabolus.

Apoc. XIII. 5. A. B. C. *blaſphemiam*

v. 8. A. B. C. qui *inhabitabant* terram.

v. 9. A. qui occiſus eſt ab *oriente* mundi, manifeſto errore typographico.

v. 17. A. B. C. niſi *habeat* characterem *nominis* beſtiæ, aut nomen, aut numerum nominis ejus.

Apoc. XIV. 4. A. B. C. Hi empti ſunt ex *omnibus.*

v. 7. A. B. C. omiſerunt verba, *& omnia quæ in eis ſunt.*

v. 10. A. B. C. hic bibet, omiſſo *et.*

v. 16. A. C. *& meſſuit in terram,* mendo typogr. pro *meſſuit terram* B. & *demeſſuit eam.*

Digitized by Google

v. 18. A. C. qui habebat poteſtatem ſupra ignem *&* *aquam* & *ex*clamavit.

Apoc. XVI. 2. A. B. C. qui adoraverunt *beſtiam*, *&* imaginem ejus.

v. 19. A. C. & *fracta* eſt civitas magna in tres partes.

Apoc. XVII. 1. A. B. C. veni *et* oſtendam.

v. 5. A. B. C. omittunt vocem *myſterium*.

v. 6. A. B. C. cum *viderem*.

v. 9. A. B. C. Et ſeptem reges omiſſo *ſunt*.

v. 11. A. C. ipſa octava eſt, omiſſa copula *&*.

Apoc. XVIII. 10. A. B. C. *et* civitas illa fortis.

v. 12. A. B. C. *mercem* auri & argenti.

v. 14. A. B. C. & amplius illa jam non *invenient* mercatores hominum.

v. 17. A. B. C. *Omnes*, qui in lacum *navigant*.

Apoc. XIX. 5. A. B. C. qui timetis *Deum*.

v. 8. A. B. C. *biſſinum*, *ſplendens*, *candidum*.

v. 15. A. B. C. de ore ejus *procedebat* gladius.

v. 17. A. B. C. quæ *volant*.

v. 20. A. B. C. *pſeudoprophete*, *&* qui fecit ſigna.

Apoc. XX. 10. A. B. C. *pſeudoprophete*.

Apoc. XXI. 10. A. B. C. deſcendentem de cœlo: *a Deo* non habent.

v. 14. A. B. Apoſtolorum *&* Agni.

Nota:

Cum ultimum primæ Bibliorum editionis folium hæc ſcribenti in promtu haud eſſet, ſed in manibus ſculptoris Lindávienſis verſaretur, a. v. 14. Cap. XXI. ad finem usque Apocalypſeos non potui eam cum

Digitized by Google

cum Antvverpienſi Theologorum Lovanienſium editione conferre. Binas igitur duntaxat lectiones a Lovanienſibus non obſervatas ex cæteris duabus antiquis editionibus hic adjungo.

Apoc. XXI. 25. B. & C. & portæ ejus non claudentur per *noctem*.

Apoc. XXII. 3. B. & C. *ſed* ſedes Dei & agni in illa erunt.

COROLLARIA.

I.

Non ſine voluptate hic adjicio, quæ, Diatriba mea jam ad finem perducta, humaniſſime ad me perſcripſit Vir Illuſtris, ac ſummis noſtri ſæculi literarum & literatorum Patronis jure ſuo accenſendus, Gerardus MEERMANNUS, utpote ad ea, quæ ſupra in Obſ. V. de Ulrico Zellio, primo typographo Colonienſi dixi, illuſtranda & confirmanda apprime inſervientia. Ita autem Vir laudatiſſimus: „Nu„per mihi e Germania miſſa eſt - - - tua Diatribe de antiquiſſima Lati„norum Bibliorum Editione, quæ poſt varias aliorum hariolationes no„bis cognitam reddidit veram impreſſionem ſacri Codicis principem, a „Chronographo Colonienſi memoratam. Hujus vero teſtimonium lon„ge pluribus argumentis corroborare poſſum, quam a Te factum eſt. „Tractavi enim manibus librum B. AUGUSTINI *de ſingularitate Cle„ricorum*, excuſum, ut impreſſa ſubſcriptio diſtinctiſſime docet, *per „Ulricum Zell de Hanau, Clericum Dioceſeos Moguntinæ, anno &c.* „(id eſt milleſimo quadringenteſimo) *ſexageſimo ſeptimo* in 4. Tractavi „folium integrum Donati membranacei impreſſum iiſdem typis, iiſque „mobilibus, quibus Speculum humanæ Salvationis Belgicum &c. „ Lætam quoque in eadem epiſtola longe ſuaviſſima ſpem excitavit Vir ſummus operis de Originibus typographicis habitu ſplendidiſſimo edendi, quod mecum avidiſſime expectabunt omnes, qui literis bene cupiunt.

Digitized by Google

II.

His demum diebus nactus ſum, & jucunde legi eximiæ collectionis faſciculos priores, quæ ſic inſcribitur: *Altes aus allen Theilen der Geſchichte, oder Alte Urkunden, alte Briefe und Nachrichten von alten Büchern mit Anmerkungen.* In Faſc. III. p. 356. ſqq. nonnulla commemorat doctiſſimus auctor de Joannis Kœlneri de Vankel Summariis & Concluſionibus Sexti (Decretalium) A. 1465. excuſis, cujus operis ex Viri Ill. Val. Ferd. de GUDENUS Sylloge I. variorum Diplomatariorum Monumentorumque vett. ineditorum p. 402. in Obſ. V. mentionem feci. Ex ipſa oculari inſpectione ſub finem annum quidem MCCCCLXV. clare exprimi aſſerit, ſed ex comparatione cum ejusdem Kœlneri Summariis ac Concluſionibus Clementinarum per Johannem Kœlhoff de Lubek, civem Colonienſem A. MCCCCLXXXIV. impreſſis, cenſet, numerum anni MCCCCLXV. mendoſum eſſe, ac ejus loco ſubſtituendum A. MCCCCLXXXV. cum utrumque opus iisdem plane typis excuſum, chartaque iisdem chartulariorum ſignis notata ſit; id quod pro meo candore ſilentio prætermittere nolui.

ANGELI

ANGELI MARIÆ CARD. QUIRINI
LIBER SINGULARIS
DE
OPTIMORUM SCRIPTORUM EDITIONIBUS

QUÆ EX
PRIMA TYPOGRAPHIA ROMANA
GERMANORUM ARTIFICUM
AB
A. MCCCCLXVII. AD A. MCCCCLXXII.
PRODIERUNT
CUM ANNOTATIONIBUS
JO. GEORGII SCHELHORNII.

Digitized by Google

L. COELIUS LACTANTIUS.

§. I.

Typis, quos Romam Germanorum Opificum opera advectos PAULUS II. excepit, materiem principio præbuiſſe Lactantii, Ciceronis, Auguſtini, & Hieronymi Volumina, ut hac ratione Urbs illa depoſitam diu literarum dictaturam reſumens, poſtliminii hujus auſpicium non aliunde caperet, quam a præſtantiſſimis Chriſtianæ, atque Ethnicæ eloquentiæ Anteſignanis, & Magiſtris, jam diximus (*a*) Vindiciar. Cap. I. indeque argumentum deſumpſimus PAULI ergà easdem amoris, ac munificentiæ.

Lactantium (de quo modo agendum eſt) Romæ prodiiſſe an. 1468. ibidem tradidimus, quum tamen ante triennium excuſus fuiſſet in Monaſterio Sublacenſi (*b*), ad quod ut Germani illi Opifices primum

(*a*) Recitatis ibi p. XIV. variis hanc in rem locis ex Joannis ANDREÆ, Epiſcopi Alerienſis, epiſtolis nuncupatoriis adjecta ſunt pag. XV. ex libello MS. Bibliothecæ Vaticanæ, qui auctorem agnoſcit Gaſparem Veronenſem de Geſtis tempore Pauli II. verba, quæ hic repetere juvat: *Hac tempeſtate ſanctiſſima Romam quidam juvenes acceſſerunt, & ii quidem Teutonici, qui Lactantium Firmianum de hominis Opificio, de Dei natura, nec non contra gentes menſe uno formaverunt, & ducentos hujusmodi libros quoque menſe efficiebant. Quorum artificium narratu perdifficile foret, ſed plurimi omne ipſum cognoverunt, quia fuit magna ingenii inventio. Sed & Auguſtinum de Dei Civitate itidem finxerunt, nec non de Oratore ad Quintum fratrem, & Ciceronis Epiſtolas, & vili venumdederunt pretio; ſic alios codices ſunt formaturi.*

(*b*) Cum hoc Monaſterium typographiæ, e Germania in Italiam translatæ, primum præbuerit hoſpitium, non inamœnum fortaſſis fuerit, ex libro hodie minus obvio, PII II. P. M. Commentariis rerum memora-

Digitized by Google

mum diverterent, valde credibile eſt in cauſa fuiſſe gratam Teutonicorum Cœnobitarum, quos eo tempore Monaſterium illud incoluiſſe de-

K 2 pre-

morabilium, quæ ipſius temporibus contigerunt, cum Jacobi PICCOLOMINEI, Cardinalis Papienſis rerum geſtarum ſui temporis Commentariis ac Epiſtolis, Francofurti An. 1614. in fol. recuſis, Lib. VI. p. 161. p. 167. ſq. quale ea illud tempeſtate fuerit, hic recognoſcere: „Cum ventum eſſet inter vineas oppidi Sublacenſis, „ibi Cardinalis (Joannes de Turrecremata, Hiſpanus, Monaſterii „Sublacenſis adminiſtrator, cujus varia opera exſtant, & a quo Pius „II. ad id inviſendum invitatus erat) occurrit, & paulo poſt ſacer„dotum monachorumque pompa. Exceptus eſt Pontifex ſummo „populi deſiderio; neque enim memoria hominum Romanus Pontifex „illic alius fuerat. Oppidum eſt multa plebe refertum; rupem domus „obſedere, altera ſuper alteram ſitæ: in ſummo cacumine arx eſt pro„pemodum inexpugnabilis, niſi valle interjecta rupe altior immineret: „Anio magnam oppidi partem ambit: ex oppido ad monaſterium Sub„lacenſe eſt via duorum milliarium per abruptas petras, & difficiles adi„tus, quos facile liceat hoſti præcludere: ubi ad monaſterium ventum „eſt, ibi tantum in plano ſpatii repertum, quantum ad Eccleſiam, „clauſtrum & officinas cœnobio neceſſarias conſtruendas opus fuit: „quæ omnia magno ſumptu conſtruxere priores. Hic Pontifex cum „vineam novam magna vi ferri in ſaxo plantatam vidiſſet, rubenti„bus uvis uberem, undiqve muro ſeptam, & oliveto cinctam viren„ti, & in medio torcular, ac domum ad habitandum candidam, „percunctatus quis novi operis auctor eſſet: reſponſum accepit; „Epiſcopum quendam Silvenſem, hominem Hiſpanum, ex Luſita„nia natum, eccleſiaſticarum pomparum tædio, & mundialis curæ „odio fatigatum, Eccleſiæ ſuæ renunciaſſe: reſervataque ſibi an„nua penſione, ex qua poſſet honeſte vitam traducere, huc pro„fectum inter fratres non mutato habitu degere, divinis officiis in„tereſſe, celebrare, quando ſibi ex animo detur: præter liberta„tem & veſtem nihil a monacho diſtare; ab hoc domum & vineam „conſtructam, cujus magna ſint proventura monachis emolumen„ta. Pontifex ad ſe epiſcopum vocavit, & cognita cauſa renun„tiationis Eccleſiæ, ac delectæ ſolitudinis, propoſitum laudavit, „qui noverit pro cœleſtibus terrena commutare: ille paulo poſt ex hac

prehendi, hoſpitalitatem. Editio Sublacenſis hanc præfert ad calcem notam: *Lactantii Firmiani de Divinis Inſtitutionibus adverſus Gentes libri*

„hac vita deceſſit. Beatus profecto, ſi (ut credibile eſt) verus fuit „mundi contemptus, & ſpreta noſtri ſæculi dignitate, quæſita eſt „major. Pars monachorum in hoc monaſterio, quod Sublacenſe „diximus appellari, dies ac noctes gratiſſimas Deo laudes ca„nit; Pars in altero, quod ſpecus vocitant, ad quod mille paſſi„bus aſcenditur, via difficili, & ferro facta, adeoque præcipiti, „ut absque horrore adiri nequeat: hinc profundiſſima in Anienem „deſcendente rupe, inde altiſſimo imminente ſaxo, nec acceſſibi„lis ullo pacto, niſi modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram varios „agens flexus in anguis morem ab imo uſque ad ſummum ducta, „& plerisque in locis muro defenſa fuiſſet: Monaſterium ſub altiſſimo „ſaxo ædificatum eſt, ita ut magna pars ejus vicem tecti gerat, „partem exterius conſtruxere ædes; ipſa ſacra & officinæ monacho„rum multæ intra ſaxum patent. Benedictus, magnus ille mo„nachorum pater, & Deo plenus, in quo Nurſia totum quod ha„buit bonitatis effudit, priusquam domus aliqua hoc in loco con„ſtructa eſſet, aut homo quiſpiam habitaret, ſolus in hac eremo „pœnitentiæ ſibi locum delegit: procul ab humano cultu nulli co„gnitus, niſi Deo, in duriſſimo ſibi lapide lectum ſtravit: hic ſe „vigiliis ac jejuniis maceravit, hic Deo gratiſſimum præbuit famu„latum: ſecuti ſunt eum diſcipuli, & cœpta eſt habitari ſpe„lunca, ſicut in altis ſcopulis nidos videmus arundinum in crepi„dine lapidum; ita eſt hoc monaſterium cernere affixum ſublimi „ſaxo, ex quo ſæpe fruſta concidunt, quæ aut monachos peri„munt, aut ædificii ruinam faciunt: multa hic ſancti „viri miracula referuntur, & tintinnabulum oſtenditur, quo dia„bolus illuſiſſe bonis operibus conatus eſt: monachi circiter viginti „hic degunt, (ut par eſt credere) Deo cari, nunquam carnes „edunt, vinum multa domant aqua, jejunia longa producunt: „luxuria eſt, duo ova comediſſe, oleribus & pane veſcuntur; ad„ſunt & legumina: his epulis menſam onerant, breviſſimum tem„pus cibo datur, nec multo majus ſomno; reliquum in oratione „conſumunt: rem divinam peragunt ſumma devotione, & pſal„lunt Deo confidenter: major pars ſenum eſt, quorum plerique inoſ-

libri ſeptem, nec non ejusdem ad Donatum de Ira Dei liber unus, una cum libro de Opificio Hominis, finiunt ſub anno Domini MCCCCLXV. Pontificatus PAULI *Papæ* SECUNDI *anno ejus ſecundo, Indictione* XIII. *die vero antepenultima Menſis Octobris. In venerabili Monaſterio Sublacenſi. Deo gratias.* Memorat hanc Editionem Michael Maittaire in Annalib. Typograph. fateturque poſt Moguntiam nullum ſibi occurrere locum, quem Typographia certo noſcamus inclaruiſſe, ante Monaſterium Sublacenſe, & Lactantii Opus illud ea artis pompa ad amuſſim exactum fuiſſe, ut nemo, qui viderit, nomen Typographi abeſſe non dedignetur.

Hoc minime abeſt in Romana alia an. 1468. ejusdem Operis Editione, in cujus fine ita legitur:

Hoc Conradus Opus Sweinheim ordine miro,
Arnoldusque ſimul Pannarz, una æde colendi,
Gente Theotonica Romæ expediere ſodales.
In Domo Petri de Maximo
MCCCCLXVIII.

„inoffenſa valetudine ad octuageſimum annum pervenere, vultu alacres, & alloquio venerabiles: quorum unica cura eſt, diſſolvi tandem, & eſſe cum Chriſto. Pius cum ſuperius, atque inferius in utroque monaſterio rem divinam coram ſe celebrari juſſiſſet, & omnia loca exoſculatus eſſet, quæ fama vulgaret Benedicti corpus tetigiſſe, ſpirituales gratias elargitus, quas monachi petivere, & omnium conſcientiis abunde ſaturatis, ad oppidum pernoctaturus deſcendit.„ Cœnobium hoc lautis fuiſſe præditum reditibus, vel hinc apparet, quod Alexander VI. ſuorum ditandorum ſtudioſiſſimus, gentem ſuam Borgiam illius patronam in omne ævum An. 1501. d. 27. Sept. conſtituerit, teſte Jo. BURCHARDO, ejus ceremoniarum Magiſtro, in Diario Curiæ Romanæ ſub Alexandro VI. Papa Jo. Ge. ECCARDI Corpori hiſtorico medii ævi Tom. II. inſerto, col. 2134.

Digitized by Google

In Voluminis autem initio poſt Capitum ſingulorum argumenta, hæc mihi nota primum comparuit: *Lactantii errata, quibus ipſe deceptus eſt, per Fratrem Antonium Raudenſem Theologum collecta;* deinde ſequens Octaſtichon auctore Adamo Januenſi.

Hic male corripuit ſtolidis Antonius auſis
Authorem: in variis cauſa pianda locis.
Non erat in tenebris errantis imaginis aſtrum
Dicere, vel nitidum luce carere jubar.
Denique cum Sanctæ Eccleſiæ pia lumina conſtet
Obſequio ex tanto conticuiſſe Viro,
Tu vero eloquio lingua interdicta Latino
I cubitum; nam te penſitat Eleborum.

Antonium hunc Raudenſem, humili loco in Inſubria natum, commendat Wadingus de Scriptor. Ord. Min. præſertim ex ea Lactantii Operum emendatione. At contra ob illam ipſam, præter Adamum Januenſem, acerrime quoque carpitur a Franciſco Philelpho lib. V. Epiſtola ad ipſum Raudenſem data, ubi eum ita alloquitur: *Quæ enim per immortalem Deum fanatica ratio te commovit, ut perinde atque infeſto quodam, atque inimico afflatus ſpiritu in Virum illum doctiſſimum, atque diſertiſſimum tam inſolenter, tam injuſte, tam impie inveheremini, ut non res ſolum pene innumerabiles, ſed nomen etiam Viri depravare ſtudueris, utpote quem* Lactenſium *pro* Lactantio *nomines? Nam de rebus ipſis quid loquar? Quas vel pueris notas dum corrumpere laboras, te omnibus eruditis, & graviſſimis Viris ridiculum præbes.* Eundem Raudenſem ob compoſitas de Latinæ linguæ elegantia Obſervationes refellendum ſumpſit Laurentius Valla in libro, quem *in Errores Antonii Raudenſis* inſcripſit, ſubjunxitque ſex Elegantiar. ling. Lat. De aliis Raudenſis reprehenſoribus infra.

Iis ipſis Germanis Typographis, qui Lactantii Editionem modo recenſitam curarunt, alia pariter ejuſdem Auctoris debetur an. 1470. vulga-

Digitized by Google

vulgata, ac proinde, ut binæ ſuperiores, PAULO II. Pontifice, cui inſuper Joannes Andreas, Epiſcopus Alerienſis, Epiſtolam inſcripſit, hoc loco recitandam. Quam ſtudioſam operam impenderit Epiſcopus hic Alerienſis primis Romanæ Typographiæ conatibus, quibusque propterea a PAULO beneficiis fuerit affectus, jam vidimus Vindiciar. Cap. I. reſque apertius patebit ex ejusdem Præfationibus in hac Appendice afferendis.

Joannis Andreæ, Epiſcopi Alerienſis, ad PAULUM II. *Venetum Pont. Max. Epiſtola.*

Laborioſis recognitionibus noſtris plures videmus, veræ humanitatis amore, delectari, PATER BEATISSIME PAULE II. *Venete, Pont. Maxime. Iccirco animus impendio nobis creſcit, vigilantius etiam quam antea, laudabili quidem incœpto non deeſſe, neque prius conatui hujuſmodi parcere, quam ſummus nobis Deus dignabitur præſtare, ut linguæ omnis Latinæ, quibus in facultatibus potuerimus, circulum (quod ajunt) abſolvamus. Sumant igitur ſtudioſi abs Te hoc tempore per noſtros ingenuos opifices Lactantium Firmianum ſemel ab iis, iterumque impreſſum prius, nonnullis in locis profecto veriorem. Hacque opera, cæterisque omnibus, quicunque futurus eſt Lector, ſedulo ſit oratus, ut ita de chartis noſtris menda, ſi quæ illum offenderint, benivolens, ac minime contumelioſus tollat, ut nos de reliquorum libris demenda ſine omni morſu, virulentiaque curamus. Non enim errorum imputamus recognitori ipſi emiſſorum ante nos Codicum, ſed depravatis exemplaribus, culpam. Experti ſatis nos quoque, in diemque magis impendio experientes, incredibilis opus eſſe felicitatis, ut ſudoribus noſtris exemplorum dentur ſubſidia non vulgarium. Collatis profecto vigiliis noſtris ad reliquorum operas, facillime extabit differentia. Tu tantum,* PATER BEATISSIME, *quod clementiſſime facis, atque ſanctiſſime, in Chriſtiana undique religione pacem perpetuo fove, ſtudiis caſtis opitulare, felicitatem numinis tui, nominiſque hac mercede, meritoque diffunde, ut tuo potiſſimum tempore numerus virorum cultiſſimus omnibus in facultatibus ſingularium excellenter augeatur. Non enim fruſtra omnipotens Deus tam uberem, ac facilem*

Digitized by Google

lem Latinis præbuit, Te tanto Pontifice, ad cunctas immortales artes, & divina ſtudia facultatem. Ita fiet, ut dives ſapientia, ditior Catholica religione Pontificatus tuus Auguſtiſſimus, omni ſit futuro tempore in animis, & linguis mortalium duraturus apud immortalem Deum æterno regno coronandus illius ope, cujus in terris legitimus es Vicarius. Romæ anno Natalis Dominici M. CCCC. LXX. Pontificatus tui floridiſſimi Anno ſexto.

Quod diximus, tertiam fuiſſe Lactantii Editionem iſtam, ea Alerienſis verba confirmant: *Sumant igitur ſtudioſi abs Te hoc tempore noſtros ingenuos Opifices Lactantium Firmianum, ſemel ab iis, iterumque impreſſum prius, nonnullis in locis profecto veriorem.* Aliis autem verbis, quæ illico ſequuntur, declarat, ſi quæ menda in Lactantii Editione illa Lector offendiſſet, non quidem recognitoris aut negligentiæ, aut audaciæ adſcribenda, ſed exemplaribus; non æque tamen depravatis, ac ea unde ſuperiores Editiones prodierant, quarum quoque culpam a recognitoribus deprecatur: *Non enim* (inquit) *errorum imputamus recognitori ipſi emiſſorum ante nos Codicum, ſed depravatis exemplaribus culpam; experti nos quoque, in diemque magis impendio experientes, incredibilis opus eſſe felicitatis, ut ſudoribus noſtris exemplorum dentur ſubſidia non vulgarium. Collatis profecto vigiliis noſtris ad reliquorum operas, faciliime extabit differentia.* Hiſce verbis vitiatarum Lactantii Lectionum Alerienſis crimen illud propulſat, cujus reus ab iis, qui poſteriores Editiones vulgarunt, injuria agitur, ſive Alerienſis ipſe, ſeu quivis alius primarum illarum curator.

Tres Editiones modo memoratas Venetæ plures ſubſecutæ ſunt, hæque parum caſtigatæ, quare an. 1515. nova evulgata fuit Aldi Manutii typis ex emendatione Jo. Baptiſtæ Egnatii; & alia apud ejus filium Paulum Manutium, qui Germano Minadoo, Monacho Caſinati, eandem inſcripſit, profeſſus in Epiſtola, quæ Editioni illi an. 1535. præmittitur, eam maxime deberi Cœnobii illius Codicibus, quorum collatione Lactantium emendaverat Honoratus Faſitelius ex impoſita ſibi ab Aldo Manutio provincia. In Editione iſta, Lactantii textus pluribus

ribus locis augetur; quæ tamen additiones, ne Lectoribus fraudem faciant, duabus ſtellulis concluduntur. Aliqua ex iis fragmentis pro genuino Lactantii textu omnino habenda eſſe contendit Sixtus Betulejus in Baſileenſi an. 1563. Editione. At Michael Thomaſius, novæ juſſu S. Pii V. P. M. Editionis artifex, ea ipſa ab Hæreticorum manu potius quam a Codicum fide obveniſſe ſuſpicatus, in Præfatione ad eandem diſerte affirmat, ſe Lactantii textum a multis erroribus liberaſſe, *qui ejus libris dolo, & fraude veterum Hæreticorum additi fuerant.* His omnibus, aliiſque, quæ pariter præceſſerant, locupletiorem Editionem curavit Joſephus Iſæus, & publici juris fecit an. 1546. Cæſenæ, dein an. 1550. Romæ, Thomaſii quidem diligentiam commendans, qui Codices multos, & præſertim antiquiſſimum Bononienſem conſuluerat, pluribus tamen locis vitioſam Editionem illam contendens, quibus ipſe medicam manum adhibere curaverit novis Codicibus inſpectis, & inter hos duodecim Vaticanis, & admodum inſigni Michaelis Thomæ Taxaquetii. Indiculum vero erratorum, Lactantii librorum frontibus, nomine Antonii Raudenſis, præfixum, omnino explodit Iſæus, qua mancum, qua ſupervacuum, nonnulla ſupprimentem, alia vero affingentem, neque rationibus ullis, aut ſacrarum literarum, Doctorumve teſtimoniis, cur quiſque cavendus ſit error, edocentem. Id ipſum præſtiterat Jo. Baptiſta Egnatius, diſerte profeſſus in Editionis, de qua ſupra, a ſe curatæ Præfatione, ſeu Epiſtola nuncupatoria ad Præſulem Antonium Trivultium, Francorum Regis Oratorem ad Senatum Venetum, ſe Notas illas in Lactantium *neſcio cujus fraterculi* expunxiſſe, quod multa imperite reprehenderit in Viro illo diſertiſſimo, qui illis temporibus floruit, quibus ſententiæ quædam nondum communi Eccleſiæ judicio fuerant damnatæ.

Mirum autem valde, eundem Joſephum Iſæum, imo vero Servatium Gallæum, cujus ſtudio nitidam, & luculentam debemus Lactantii Editionem cum ſelectis Variorum Commentariis Lugduni Batavorum an. 1660. publicatam, in eo, quem veterum ejus Scriptoris Editionum catalogum texuerunt, haudquaquam memoraſſe Sublacenſem, aut binas Romanas, de quibus ſuperius locuti ſumus, ac proinde prin-

Digitized by Google

cipem locum in eo catalogo dediſſe Venetæ an. 1472. (c) quum tamen vel ipſi verſus, qui in hac leguntur, Romanarum illarum Editionum monitos

(c) Hæc editio ne quidem inter Venetas principem locum obtinet, qui potius debetur alii, A. 1471. ibidem curatæ. Hujus ego antehac plane incognitæ ex Bibliotheca noſtra publica mentionem feci in Additamentis ad Mich. MAITTAIRE Annales typographicos, Miſcellan. Lipſienſium Tom. XII. inſertis p. 67. uberiorem vero notitiam dedi Amœnitat. literar. Tom. I. p. 312. ſqq. Venetiis eam prodiiſſe, licet urbis nomen expreſſum haud ſit, ex his verſibus ſub finem adjectis, patet:

Arguit hic hominum ſectas Lactantius omnes,
Septeno falſas codice vera docens.
Sive Deum tangat: turbato numine cernens
Ira furor: gemino pernotat inde libro,
Et volucrum verſu phœnix comprenditur una:
Quæ noſtro nunquam paſcitur alma ſolo.
Hincque Redemptoris noſtri non carmina deſunt,
Quæ poſitum e tumulo dulce canendo vocant.
Presſerat hunc primum Mundi caput inclita Roma:
Poſt Regina premit quippe colenda maris,

Hos excipit indicium anni MCCCCLXXI. cui additum eſt nomen *Adam*, haud dubie typographi, qui eleganti charactere Romano uſus eſt, diphthongos *æ* & *œ* non per unicum *e* vel *ę* ſubjecta virgula, ſed per unam literam ex duabus conflatam expreſſit, & fragmenta ex Græcis auctoribus inſperſa ſuis jam exhibuit literis, ſatis legibilibus. FABRICIUS in Biblioth. Lat. mediæ & infimæ ætatis, Vol. IV. ubi diligenter recenſuit Lactantii editiones, p. 676. hanc per fratrem Adamum Genuenſem excuſam eſſe meminit. Is autem non fuit typographus, ſed monachus, cujus octaſtichon in fratrem Antonium Raudenſem, naſutum & inſipidum Lactantii cenſorem, ſupra adductum, in noſtra quoque editione legitur. Summa ejus raritas

Digitized by Google

monitos reddant Lectores. Hi enim quatuor Dodecaſtichon ibi appoſitum concludunt.

raritas vel inde cognoſci poteſt, quod Cel. BUNEMANNUS in Catalogo ſuorum Codicum MSS. & librorum rariorum p. 14. ſe illam in quadringentis, quos poſſidet, catalogis fruſtra quæſiviſſe aſſerat. Extitit vero quondam in Bibliotheca Dalmanniana publice Hagæ Comitum A. 1723. menſe Nov. divendita, ac licitatori quinquaginta florenorum pretio ceſſit, vid. ejus Catalog. p. 4. Ornavit etiam Bibliothecam Frid. ROSTGAARDI Hafniæ ejus exemplar impreſſum in membrana, & auro variiſque coloribus paſſim decoratum, teſte laudato FABRICIO. Cum hujus Adami editiones ſint paucæ, nitidæ, valdeque raræ, hac occaſione quaſdam ad Annales typographicos ſupplendos commemorare viſum eſt. Servo meas inter reculas volumen in forma quadrifariam complicata, ſequentia continens opuſcula, ſine loci annique indicio, iisdem typis ab eodem Adamo excuſa: Petri Pauli VERGERII ad Ubertinum Cararienſem de ingenuis moribus librum, e magno Baſilio Leonardi ARETINI traductionem (de liberalibus ſtudiis & ingenuis moribus) ad Colucium, eque Xenophonte Leon. ARETINI traductionem de tyrannide. In hujus collectionis calce hoc tetraſtichon adjectum eſt:

Ingenuos mores formis hic preſſit ADAMUS,
Et ſtudia ingenuis concelebranda viris.
Baſilius magnus, Xenophon Hieronque tyrannus
Hic fantur: mira quilibet arte loquens.

In hoc volumine exſtant præterea Auguſtini DATI Elegantiolæ in eadem officina ſine loci annique nota iisdem typis exſcriptæ, quarum ſub finem hoc diſtichon legitur:

Preſſerat hoc primo, placuit formare ſecundo
Ne deſit, quamvis ſit breve, doctus ADAM.

Digitized by Google

Preſſerat hunc primum mundi caput inclyta Roma,
Poſt Regina maris nempe colenda premit.
Impreſſum formis, juſtoque nitore coruſcans,
Hoc Vindelinus condidit Artis opus.

De Lactantii Editionibus præter Maittaire in Annal. Typograph. Peregrinum Antonium Orlandum de Artis Typograph. Orig. atque Progreſſ., Jo. Albertum Fabricium in Biblioth. Lat., præter hos inquam, agit Richardus Simonius in Epiſtolis Selectis Gallice editis Tom.

In Bibliotheca Uffenbachiana quondam habebatur Virgilii nitidiſſima elegantiſſimaque editio, loco haud indicato A. M. CCCCLXXI. in primæ magnitudinis forma luci expoſita, & hac coronide inſtructa:

MINCIADÆ quicunque cupit cognoſcere VATIS
Carmina: ſeu quisquis Vegi *ſimul optat habere:*
Me legat: aut fratres parvo numeroſa juventus:
Uno eodemque ſumus preſſi ſeſquique locoque.
Non Solomon: neque Hyran, non Dædalus: atque Sibylla
Græcia non omnis ſapientibus inclyta quanquam
Non armis Romana potens æquandaque Divis
Gloria jactavit tali ſeſe arte decoram.
Nos igitur peperit patrem qui nomine primum
Rettulit alter ADAM: formis quos preſſit ahenis.

Vid. Bibliothecæ Uffenbachianæ Univerſalis Tomi II. Appendicem. p. 15. ſq.

Cæterum an Adamus noſter vel cum Adamo Rot, Clerico Metenſis Diœceſeos, vel cum Adamo de Ambergau, typographis coævis, unus idemque fuerit, incertum eſt.

Digitized by Google

Tom. 2. Epiſt. XXV. (*d*) Ibidem pollicetur Simonius ſe alibi acturum de manuſcriptis Lactantii Codicibus, quorum agmen profecto ducit Bononienſis ſuperius memoratus, de quo ita Bern. Montfauconius Diar. Ital. Cap. XXVII. Indicem referens Codicum Cœnobii Canonicorum Regularium S. Salvatoris ejus Urbis: *Lactantii Codex membranaceus vetuſtiſſimus, charactere unciali, egregiæ notæ. Ibi loca Græce bene multa adferuntur, præter Latinorum Codicum morem, ubi Græca miſere fœdata comparent. Codex eſt VI. vel VII. Sæculi. Vellem ſane Lactantium ad bujusmodi Codicem emendatum; ejus quippe nullus, ut æſtimo, adbuc uſus fuit.* Vellem ipſe Virum Clariſſimum, dum hæc ſcriberet, ſumendarum in manus Lactantii Editionum curam aliquam cepiſſet, nam illico Michaelem Thomaſium, Joſephum Iſæum, Servatium Gallæum, qui easdem curarunt, maximis præconiis Codicem illum commendaſſe, eoque uſos fuiſſe deprehendiſſet. Gallæus (ut ejus tantum hoc loco teſtimonium recitem) Elenchum librorum manuſcriptorum, quorum variantes Lectiones adducit, & expendit, his verbis exorditur: *Duo Codices Cœnobii S. Salvatoris Bononienſis, quorum prior, omnium qui in Europa, antiquiſſimus babetur. Alter ejusdem eſt Cœnobii, qui etiamſi prioris vetuſtati cedit, bonitate tamen baud eſt inferior. Utroque boc Codice olim uſus fuit Michael Thomaſius.*

L 3 Quam

(*d*) conf. V. C. Jo. Ludolphi BUNEMANNI Specimina Lactantii ex LX. amplius MSS. & editionibus illuſtrati, Miſcellan. Lipſ. Tom. III. inſerta p. 11. ſqq. præſertim vero ejusdem Viri doctiſſimi præfationem, præſtantiſſimæ ſuæ Lactantii editioni, A. 1739. in 8. Lipſiæ luci expoſitæ præmiſſam, in qua copioſiſſimus index Codicum MSS. & editionum Lactantii, addito plerumque ejus judicio, exhibetur. Inſerta quoque ſunt Specimina Alphabeti Codicis Bononienſis omnium antiquiſſimi, & Colbertini Manuſcripti de mortibus perſecutorum, æri inciſa. In Parerg. Goettingenſ. Tom. I. Lib. III. p. 189. ſqq. variantes lectiones a Jo. Mich. HEUSINGERO, Gymn. Goth. Prof. e Codice MS. Gothano Lactantii deſcriptæ cum animadverſionibus HEUSINGERI & HEUMANNI inveniuntur.

Digitized by Google

Quam celebris, & præclara Lactantii Editio a Gallæo vulgata, jam ſuperius indicavimus; admodum quoque celebris, & obvia Thomaſii illa, Antuerpiæ ſemel & iterum an. 1570. & an. 1587. publicata, ſemel autem Pariſiis an. 1589. Duplicem Iſæi Editionem Cæſenæ, & Romæ pariter indicavimus.

M. TULLIUS CICERO.

§. II.

Quam merito Germanorum Opificum prœla, ut primum Romæ ſedes fixerunt, L. Cœlio Lactantio M. Tullium Ciceronem illico conſociaverint, cuivis oſtendit Chriſtiani Ciceronis nomen, quo paſſim Lactantius donatur; indeque Ludovicus Vives lib. 2. de Anima: *Ex nomine Ciceronis* (inquit) *venit in recordationem Lactantius, qui fuit imitator ejus; ex hoc de Chalcographia. Nam is liber dicitur formulis aneis excuſus vel primus, vel cum primis.*

Inter Ciceronis Opera primos eorum Opificum conatus occuparunt Epiſtolæ Familiares, quarum extat Editio an. 1467. evulgata, cum iis ipſis ad calcem carminibus, quæ in ſuperiori §. recitavimus. *Hoc Conradus opus &c.*

In domo Petri de Maximo.
MCCCCLXVII.

Ii ipſi Opifices eaſdem denuo impreſſerunt an. 1469. & quidem ab Joanne Andrea, Epiſcopo Alerienſi, recognitas, ſubduntúrque ad libri calcem hi verſus.

Aſpicis

Digitized by Google

Aſpicis illuſtres, Lector quicunque, libellos,
Si cupis Artificum nomina noſſe, lege.
Aſpera ridebis cognomina Teutona forſan:
Mitiget Ars Muſis inſcia verba virum.
Conradus Sweinbeim, Arnoldus Pannartzque Magiſtri
Romæ impreſſerunt talia multa ſimul.
Petrus cum fratre Franciſco Maximus, ambo
Huic operi optatam contribuere domum.
MCCCCLXVIIII. Prid. Non. Novembr.

Anno vero illico ſubſequenti iidem Typographi Ciceronis Epiſtolas ad Atticum, Brutum, & Quintum Fratrem ediderunt, iisque præfixa legitur nuncupatoria Alerienſis Epiſcopi ad PAULUM II. Epiſtola, qua ſe in eo opere adjutum profitetur ab Jacobo Cardinale Papienſi Tit. S. Chryſogoni; monetque præterea quosdam ſeu in PAULUM Pontificem, ſeu in ſe ipſum adeo pravo animo eſſe, ut Epiſtolas PAULI nomini, numinique dicatas e fronte librorum, quibus inerant, detrahere dicerentur. Qua in re Alerienſis, quod ad ſe ſpectat, mirificas iisdem gratias agere affirmat, tum quod, Præfationibus illis ſuppreſſis, librorum errata, ſi quæ inſint, haud ſibi amplius adſcribi valeant, tum quod libri ipſi, quotquot eas Præfationes retinent, rariores inde effecti, pluris ab Impreſſoribus venumdentur; *At quod ad tuam* (inquit) *Celſitudinem pertinet, proptera ægre fero, quod quibus temporibus tanta ſtudiis felicitas ſit exorta, ſe putant ex hominum memoria prorſus abolere.* Danda modo integra Alerienſis Præfatio ex ea ipſa, quam ad manus habeo, Editione exſcripta.

Jo. Andreas Epiſcopus Alerienſis PAULO II. PONT. MAX.

K*arthaginenſes ad Romanos Legati aliquando,* PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONT. MAX. *cum a pleriſque clariſſimorum*

Civium

Digitized by Google

Civium invitati, eodem ubique argento acceptos eſſe ſe noſſent, dixiſſe feruntur: Vere concordiſſimam Romanorum gentem eſſe, ubi Proceres cuncti eodem uterentur argento. Par aliquid poſteros de nobis dicturos reor, dum libros noſtros tam multos, ac varios, veluti una & manu, & hora deſcriptos eſſe perſpicient, totumque tuæ tribuent virtuti immortali, æternæque beatitudini, ſub cujus auſpicio, & numine tantum præſtantiſſimorum voluminum emiſſorum tam parvo tempore mira ſuavitatē lectitabunt. Ecce emiſimus difficillimum Epiſtolarum Ciceronis ad Atticum opus & multis in partibus, quod notis ſecretioribus, & inter pauciſſimos cognitis ſcriptæ ſunt litteræ, non ſatis intellectum, in paucitate præſertim exemplariorum, quæ aut non ſunt apud liberales eroganda, aut ab invidis communi hominum odio occultantur. Equidem hac in parte præcipue adjutus ab elegantiſſimo, digniſſimoque fratre tuo Sancti Chryſogoni Cardinale Papienſi, tamen egi quantum in re tantæ difficultatis, & tenebrarum potui. Neque fui id circo ſegnior in juvandis pro virili ſtudioſis, quod quidam dicuntur mihi (utinam falſo, eorum jam quicumque ſunt) Epiſtolas meas tuo nomini, numinique dicatas e fronte librorum detrahere. In quo, quod ad me attinet, illis habeo mirificam gratiam, quod tam benigne de laboribus meis judicant, ut quantumvis eos oderint, carere tamen non poſſint. Quod ad tuam Celſitudinem pertinet, propterea ægre fero, quod quibus temporibus tanta ſtudiis felicitas ſit exorta, ſe putant ex hominum memoria prorſus abolere. Si labor meus eſt nauſeæ viris delicatiſſimis, & ſolis Arabicis mercibus dignis, relinquant eos aſperioribus, ne dicam ruſticis, in alieno libro importune ingenioſi. Errores ſi ſunt qui mihi inſcribi debeant, multum per eos lucror, authoris nomine Epiſtola oppreſſa celato. Si gratiam mereor, hoc conatu nihil faciunt; nam neque multi eorum ſunt ſimiles, & quisque natura noſſe cupit, ubi beneficio referre benevolentiam poſſit. Si tamen hoc quicquam eſt, ſciant, quas relinquunt Epiſtolas ab impreſſoribus cum eorum utilitate pluris venundari. Sed quisque noſtro vivamus more. Proſim ego omnibus voluntate, illi & mihi tali quoque actione. Nec conſcii ſibi a me dictum de ſe putent. Per me facillime latebunt. Si ſe ipſi prodiderint, judicent viri boni, uti juſtius expoſtularint. Verum indecens eſt, longiore Epiſtola facundiſſimam Ciceronis impedire lectionem. Satis ſit mihi te, PA-

TER

TER SANCTISSIME, *ſcire me ſuperioribus diebus, & Familiares & ad Atticum Tullii Epiſtolas ad pauperum commoditatem emiſiſſe. Sis igitur ſemper perpetuo felix; ſitque ſanctus Dei populus tuo moderamine diutiſſime in hoc ſæculo fortunatus, in futuro tecum ſine fine beatiſſimus. Datum Romæ anno Dominici Natalis MCCCCLXX. Pontificatus tui glorioſiſſimi Anno ſexto.*

M. Tul. Ciceronis ad M. Brutum, & cæteros Epiſtolæ,

In Calce.

Impreſſum Romæ opus in domo Petri, & Franciſci de Maximis juxta Campum Floræ Anno Dominici Natalis MCCCCLXX. S. D. N. Domini PAULI II. *Veneti Pont. Max. anno* VI.

Paucitatem exemplarium, quibus in ea editione adornanda eſt uſus, jure cauſari valuit Alerienſis, quandoquidem certum eſt, primum Petrarcham fuiſſe, qui Ciceronis Epiſtolas tam ad Atticum, quam Familiares, in manus hominum dederit, quum per plures annorum centurias deſideratæ fuiſſent. Cujus beneficii a Petrarcha in literariam Rempublicam collati mentionem fecimus in Volumine Brixiæ nuper edito de Brixian. Literat. renaſcent. literar. ætate. Extant Epiſtolæ illæ ipſæ Petrarchæ manu conſcriptæ in Bibliotheca Laurentiana Florentiæ, evolvique ipſemet Codicem ipſum, dum in ea Urbe, quam ſtudiorum meorum parentem vocitare ſoleo, commorarer, ac ſæpe Bibliothecam illam inviſerem una cum doctiſſimo, ac celeberrimo Viro Joanne Maria Salvino, quo duce, ac magiſtro ibidem Græcis, Latiniſque literis per quatuordecim annos pro ingenii mei imbecillitate admodum glorior.

Plura alia Ciceronis Opera Romæ prodiere PAULO II. Pontifice, ſeu per Conradum & Arnoldum ſuperius memoratos, ſeu per Hulricum Han de Vienna. Prioribus debentur Ciceronis Officia, Paradoxa, de Amicitia, & Senectute *MCCCCLXVIIII. die* XXIII. *Januarii, in domo magnifici viri Petri de Maximo;* eoque anno de Oratore, Brutus de Claris Oratoribus, Orator ad Brutum *duodec. menſ. Januar. in domo Petri de Maximo;* pariter Orationes an. *MCCCCLXXI:* Hulrico vero Han, ſeu Uldarico Gallo, cujus prælo Joannes Antonius

M

Digitized by Google

nius Campanus, Epiſcopus Teramenſis, eam ipſam operam præſtabat, quam Alerienſis prælo Svveinheim, & Pannartz, debentur de Oratore libri tres, *Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo, die quinto menſis Decembris*; Tuſculanæ Quæſtiones, & ad calcem, Paradoxa, de Amicitia, de Senectute; Somnium Scipionis, *MCCCCLXVIIII. die primo Aprilis*; Orationes Philippicæ, absque tamen anni nota, at cum Præfatione ad Franciſcum Piccolomineum Cardinalem Senenſem, & his verſibus in fine libri, quos paſſim adnexos reperimus Udalrici Galli Editionibus ad ſuam artem commendandam.

Anſer Tarpeji cuſtos Jovis, unde quod alis
Conſtreperes, Gallus decidit, ultor adeſt
Uldricus Gallus, ne quem poſcantur in uſum,
Edocuit pennis nil opus eſſe tuis.
Imprimit ille die quantum non ſcribitur anno,
Ingenio, haud noceas, omnia vincit homo.

Auctor hujus Hexaſtichi Jo. Ant. Campanus; cujus rei fidem facit in ejus Vita Michael Faernus, narrans præterea ſe Umbriam peragrantem, forte Turcam offendiſſe idem iter facientem, quem Campani ſtudioſiſſimum reperit, eorumque verſuum ita conſcium, ut de memoria ſibi ab eodem recitari non ſine magno ſtupore intellexerit. Campanum hunc Vindiciar. Cap. I. laudavimus, eumque inter doctos illos Viros, quos ingentibus beneficiis PAULUS affecit, recenſuimus.

Brevi illi indiculo Ciceronis Operum, regnante PAULO II. Romæ editorum, ſubjungenda modo Alerienſis Epiſtola ad ipſum Pontificem, quam exhibet memorata Orationum Editio an. 1471. Prolixa ea admodum eſt, ſcatetque a fronte ad calcem laudibus divini illius Oratoris, qui *perfectum proſæ eloquentiæ decus* jure, ac merito a Vellejo dictus eſt, ab Hieronymo autem *Rex Oratorum, qui in arce eloquentiæ Romanæ ſtetit.* Eandem orditur Alerienſis a temporum notitia,

Digitized by Google

tia, quibus ſcilicet Orationes quæque ſeu actæ, ſeu ſcriptæ ſint. Quam rationem de quibusdam quidem reddi poſſe confidit, ſi Aſconius Pedianus, G. Plinius, Plutarchus, ipſe Cicero, aliique veteres Scriptores conſulantur, at de omnibus ad amuſſim dici nullo modo poſſe arbitratur. Primas omnium habitas fuiſſe eas pro P. Quintio, & pro Sexto Roſcio prodit; poſtremas vero in Antonium. Dolet non omnes Ciceronis Orationes ætatem tuliſſe, ſimulque in illos indignatur, qui inſolentes, & putidi, rariſſimorumque tantum operum amatores cenſeri volentes, dum ea, ſive Ciceronis, ſive aliorum celebrium Scriptorum, quæ deperdita ſunt, magno ſtudio ſe perquirere profitentur, contra quæ ad manus ſunt ſeu negligunt, ſeu neſciunt omnino. Digreditur deinde Alerienſis ad binas M. Annæi Senecæ Suaſorias, ſextam nimirum, & ſeptimam, quarum prima deliberat Cicero, an Antonium deprecetur, altera vero, an Scripta ſua, Orationes ſcilicet in Antonium, quas Demoſthenis exemplo *Philippicas* Cicero ipſe appellavit, comburat, promittente Antonio incolumitatem, ſi feciſſet. Quoniam vero & eæ haud ita breves, & facile peti poſſunt ex utriusque Senecæ Operum Volumine, Notis etiam doctorum Virorum ibidem illuſtratæ, ideo eam Alerienſis Epiſtolæ partem omittendam exiſtimavi. Poſtrema autem ejusdem pars eo tendit, ut demonſtret, Philippicis illis, quas tamen Cicero vitæ ſuæ præpoſuit, utpote ab eo ſcriptis *turbulentiſſimis everſa Reipublicæ temporibus, a fatigato, exercitoque, & pluribus anxietatibus, & curis vexato ſene in perſpicuo Reip. occaſu habitante*, multo præſtantiores habendas eſſe alias Orationes, *quas vigente, florenteque Rep. in ætate conſtanti, in maximis honoribus, nec minore fortuna Cicero habuit, quaſi in Orbis terrarum theatro frequentiſſimo, & Regum mundi conſeſſu ornatiſſimo.* Præcipue autem extollit Orationes pro Quintio, pro Murena, de lege Agraria, in Catilinam, pro Dejotaro, pro Ligario. Argumenta Orationum, licet ab aliquibus haud parum deſiderata, a ſe conſulto præteriri ſcribit Alerienſis, quod alterius ſint operis, quodque multa eorum in Pediano, aliisque veteribus Authoribus, nec non in recentioribus, Antonio ſcilicet Luſco, & Georgio Trapezuntio, deprehendantur. Tandem affert C. Plinii teſtimonium de divina Ciceronis facundia, & his

verbis Epiſtolam claudit, nepotes ſuos commemorans, quibus ut gratificaretur Tullii Orationes collegerat, nam in hunc modum Pontificem alloquitur: *Per Te M. Victorino, nepoti meo ex Hieronymo fratre germano, Viro optimo, quem ab hinc biennium prope Domino reſtituimus, & cæteris nepotulis meis, quos in tutelam tui numinis jam dudum tradidi, & omnibus, ut perſcripſi, gratificaturus.* En autem ipſa Epiſtola.

Jo. Andreæ Epiſcopi Alerienſis in Corſica ad PAULUM II. VENETUM PONT. MAX. *Epiſtola.*

T*ullii quot potuimus Orationes,* PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONT. MAX. *unum in corpus nuper congregavimus. Opus, ut facile arbitror, non doctis modo, ſed & omnibus, quicunque hominis nomine digni cenſentur, gratiſſimum futurum, atque optatiſſimum. Nam neque inveniri imago uſpiam ulla poteſt, quæ ſummi tantum, atque omni numero conſummati habeat Oratoris, quæve civili, atque honorato Viro, qualem a te potiſſimum diligi ſcio, æque conveniat. Tametſi neſcius non ſum, vix hic partem exiguam ſuperſtitem facundiſſimi eſſe Ciceronis; in tam pretioſo tamen, & animæ inani, ut ſic dixerim, corpore non erit difficillimum mente complecti, quales ſpirantis, atque agentis aliquando fuerint Tullii actiones, quæ tantopere Lectorem inſtruant, & usque adeo permoveant auditorem. Temporum fortaſſe quiſpiam rationem, quo ſcilicet quæquæ & acta, & ſcriptæ ſint ordine poſtulabit. Eam rationem equidem, ut reddi de quibusdam poſſe confido, Aſconium Pedianum, C. Plinium, Plutarchum Cherronenſem, ipſum denique Ciceronem, alios quosdam veteres Scriptores, recentesque legentibus, ita de omnibus examuſſim dici, nulla ratione poſſe arbitror. Sed neque ex omnibus, quas M. Cicero egit Orationes, quota pars deſideretur ſatis perſpici licet. Illud quidem in promptu ſane eſt, & ab omnibus noſci facile eſt, nonnullarum de his quoque ipſis a nobis coacervatis vel maximas deeſſe, ſicut in cæteris quoque divini Ciceronis libris perplura interiiſſe. Tolerabiliorem tamen idcirco tantam, tam pretioſi operis, tamque felicis ingenii jacturam reor, quod ea, quæ hodie quoque extant,* ejus

Digitized by Google

ejus ſunt excellentiæ, ut fere nihil cogitari, nedum dici poſſit, quod diligenter, accurateque Ciceronem operoſum dicendi artificem rimanti, in divinis hominis ſcriptis non inveniatur. Sed, quod dicere pudet, & piget tacere, noſtrorum quidam ſunt adeo inſolentes, & putidi, adeo rariſſimorum tantum amatores Operum volunt cenſeri, ut in vocabulis ſolummodo eorum Operum, & hujus Auctoris, & cæterorum celebrium, quæ periere, ſint occupati; in his vero, quæ ad manum ſunt, quid ſcriptum ſit, non dicam negligant, ſed neſciant omnino. Eorum ſimiles, qui relicto pane triticeo, alicæ neſcio quam diu commendatam ſimilam, atque uvarum ſucco acidas ſorborum expetunt potiones. Ipſe tamen, ut ſoleo, percupide ſtudiorum ſectatoribus omnibus profuturas, quæ in præſentia utilia cognitu, & lectu amœna, jucundaque putavi, ex quorundam Authorum minime vulgarium perfunctoria lectione de eloquenciæ, ſapientiæque magiſtro Cicerone deguſtata, in hanc Epiſtolam contuli, non ut magnum aliquid dicerem de homine, ne a ſeipſo quidem unquam pro dignitate laudando, ſed ut partim temporum ipſarum Orationum ordinem, partim nonnullorum de eo attingerem teſtimonia. Quod enim ad tempus attinet, Orationes pro P. Quintio, item pro Sexto Roſcio primæ ſunt ab eo habitæ. In M. Antonium vero, quæ Philippicæ nominantur, exemplo actionum Demoſthenis in Philippum Regem, Magni Alexandri Patrem, poſtremæ Oratoris fuerunt. In C. Verrem primam dumtaxat dicitur habuiſſe Orationem, & ea tantum valuiſſe, ut Q. Hortenſio partis adverſariæ patrono, ſtatim a defenſione deterrito, Verrem in voluntarium exilium coegerit ab Urbe faceſſere. Sex reliquas in Verrem Orationes deinde otioſus fertur ſolum ſcripſiſſe, non etiam egiſſe, ut tota poſteris turpiſſimi, ac ſceleſtiſſimi hominis accuſatio per manus ſcriptis traderetur. Pro lege Manilia, quæ eſt de eligendo Imperatore, in qua Pompeji magni ſplendor perſpicitur, deinde actionem oravit, quæ propterea vulgo appellatur Pompejana. *Nec multo poſt dicitur L. Catilinam, & ambitus, & repetundarum accuſatum, tametſi nonnulli id factum negant, defendiſſe. Hæc ante tempora egiſſe Ciceronem Conſulatus ſui æterni, & immortalis. Conſul legem Agrariam diſſuaſit; de conſeſſus in theatro ratione pro Othone diſſeruit, de proſcriptorum item filiis ad Magiſtratuum rationem aſſequendam non admittendis, pro C. Rabirio perduellionis reo,*

in L. Sergium Catilinam invectus eſt; pro L. Murena dixit. Poſt Conſulatum pro P. Sylla luculentam habuit Orationem, in Senatu, & ad populum, & antequam iret in exilium, & poſt glorioſum reditum ſuum pro ſe, & rebus ſuis, multas Orationes habuit, de Provinciis Conſularibus, in C. Ceſaris potiſſimum favorem, & Gabinii, ac Piſonis odium egregie oravit, pro Milone, pro L. Sextio dixit. Saluſtio in Senatu reſpondit, dominante Cæſare Dictatore, pro M. Marcello, pro Q. Ligario, pro Rege Dejotaro mirifice oravit. Ut de his, quas percenſui, Orationibus aliqua clarius poſſunt ſciri, ita de cæteris id ſolum teſtari licet, medio ante victoriam Dictatoris Ceſaris tempore actas omnes eſſe, modo apud Judices, modo in Senatu, modo ad populum. Hæc de tempore a tertio, & vigeſimo, aut, ut alii volunt, ſexto, & a vigeſimo ætatis ſuæ anno uſque ad tertium, ſeu quartum & ſexageſimum, tot enim annos vixit Cicero, acta ſunt. De teſtimoniis excellentiſſimorum quorundam de Cicerone Virorum nunc locus eſt referendi. Cum exercendorum in dicendo ingeniorum cauſſa hanc ſibi Rethores Suaſoriam declamandam propoſuiſſent, deliberaſſe ſcilicet in periculo extremo poſitum Ciceronem ajunt, An Antonium deprecaretur, ita eos legimus inter cetera ne id faceret, ſuaſiſſe. Q. Haterius hoc modo ſcriptum reliquit. Sciant poſteri potuiſſe Antonio ſervire Rempublicam, non potuiſſe Ciceronem &c. Hoc loco Alerienſis binas Senecæ Suaſorias exſcribit, ut ſuperius dixi, ex Rhetorum ſententiis compoſitas, quorum Indicem collegit Jo. Albertus Fabricius in Biblioth. Lat. eumque conferendum monet cum Dionyſii Gothofredi Nomenclatore ad Senecam, & Andreæ Schotti libello de Claris apud Senecam Rhetoribus. Poſtea his verbis ad PAULUM Pontificem Alerienſis ſermonem convertit. *Quorſum iſta de Cicerone? ut quod Tu optime noſti,* PATER BEATISSIME, *cæteri quoque, ex veterum doctorum hominum judiciis, ſententiiſque intelligant, quantus fuerit Orator Cicero, cujus dictionis pars, non dicam exigua, quandoquidem ejus hominis dici nihil exiguum queat, ſed vix una, ſed minima, & ea quidem turbulentiſſimis everſæ Reipublicæ temporibus a fatigato, exercitoque, & pluribus anxietatibus, & curis vexato ſene in perſpicuo Reipublicæ occaſu habitante ponderis fuit, ut vitæ quoque Ciceronis, principis ſine controverſia mortalium, tantopere præpoſita, non collata*

collata a ſingulis fuerit, qua cenſura, & pretio illa ſint perpendenda, quæ vigente, florenteque Republica in ætate conſtanti, in maximis honoribus, nec minore fortuna Cicero habuit, quaſi in orbis terrarum theatro frequentiſſimo, & Regum mundi conſeſſu ornatiſſimo. Cum adverſarius factus & prodiens pæne unus, & is quidem adoleſcens, pro Quintio dicturus, dominatum Syllæ contempſit, quo tempore in primoribus eloquentiæ ſuæ tyrociniis, vix hiſcere audentibus fori proceribus, ex Ciceroniano ore, non quod de Neſtore dicitur, melle dulcior, ſed igne vehementior nequaquam fluere, verum erumpere videretur oratio. Cum M. Catonem gravitatis, & ſapientiæ illum authorem, ac magiſtrum, Serviumque Sulpitium civilis Juris moderatorem, & Senatus maximum columen, ita coram Judicibus pene luſu, jocoque tractaret, ut non contra principes Civitatis ſuæ pro Murena ſuo, ſed contra novitios adoleſcentes, ac rerum imperitos pro viro numeris omnibus ornamentorum civilium prædito videretur orare. Cum populariſſimam legem Agrariam, Populo Romano horreum, nunquam abſque maximo totius Civitatis motu agitatam, jam jamque Tribuum ſuffragiis prope omnibus, ut perſpicere erat, ferendam, Populo Romano tantopere erecto, & expectante, eodem populo judice, & præſide veluti alienæ cauſſæ, tamquam in vertiginem a ſenſibus omnibus alienato, ne ferretur, effecit, ut magis mirum ſit Ciceronem id agi poſſe, aut ſperaſſe, aut crediſiſſe, quam agente Cicerone ab optatiſſima, & tamdiu ſitita lege Populum Romanum receſſiſſe. Cum Sergium Catilinam tantis fautoribus, machinationibusque ſuffultum togatus ex Urbe armatum ejecit, & linguæ opibus omnem vim peſtiferarum facium illius extinxit. Cum de manibus Cæſaris, rerum omnium potiti, Dejotarum, Ligariumque ſubduxit, ut cui Romana potentia armato ſuccubuit, eidem irato, perſuaſoque candor linguæ Tullianæ iram, animumque ſubtraxerit, & prope renitenti ex reis abſolutos & damnatis reſtitutos, ut ſuos eſſe vellet, vehementer homini dominanti inimicos reconciliavit. Quid non valuit vox tua divina Cicero? Quid non effecit? Dominatori orbis ipſa dominata eſt, & populi terrarum victoris effecta eſt ipſa dominatrix; ut jure hemiſtichion illud in Auguſti adulationem compoſitum, de ſummo poeta tollendum videatur, nam de animis certe hominum ab initio usque ſublatum eſt. Orabunt cauſſas melius. *Quis enim*

Digitized by Google

in L. Sergium Catilinam invectus eſt; pro L. Murena dixit. Poſt Conſulatum pro P. Sylla luculentam habuit Orationem, in Senatu, & ad populum, & antequam iret in exilium, & poſt glorioſum reditum ſuum pro ſe, & rebus ſuis, multas Orationes habuit, de Provinciis Conſularibus, in C. Ceſaris potiſſimum favorem, & Gabinii, ac Piſonis odium egregie oravit, pro Milone, pro L. Sextio dixit. Saluſtio in Senatu reſpondit, dominante Cæſare Dictatore, pro M. Marcello, pro Q. Ligario, pro Rege Dejotaro mirifice oravit. Ut de his, quas percenſui, Orationibus aliqua clarius poſſunt ſciri, ita de cæteris id ſolum teſtari licet, medio ante victoriam Dictatoris Ceſaris tempore actas omnes eſſe, modo apud Judices, modo in Senatu, modo ad populum. Hæc de tempore a tertio, & vigeſimo, aut, ut alii volunt, ſexto, & a vigeſimo ætatis ſuæ anno uſque ad tertium, ſeu quartum & ſexageſimum, tot enim annos vixit Cicero, acta ſunt. De teſtimoniis excellentiſſimorum quorundam de Cicerone Virorum nunc locus eſt referendi. Cum exercendorum in dicendo ingeniorum cauſſa hanc ſibi Rethores Suaſoriam declamandam propoſuiſſent, deliberaſſe ſcilicet in periculo extremo poſitum Ciceronem ajunt, An Antonium deprecaretur, ita eos legimus inter cetera ne id faceret, ſuaſiſſe. Q. Haterius hoc modo ſcriptum reliquit. Sciant poſteri potuiſſe Antonio ſervire Rempublicam, non potuiſſe Ciceronem &c. Hoc loco Alerienſis binas Senecæ Suaſorias exſcribit, ut ſuperius dixi, ex Rhetorum ſententiis compoſitas, quorum Indicem collegit Jo. Albertus Fabricius in Biblioth. Lat. eumque conferendum monet cum Dionyſii Gothofredi Nomenclatore ad Senecam, & Andreæ Schotti libello de Claris apud Senecam Rhetoribus. Poſtea his verbis ad PAULUM Pontificem Alerienſis ſermonem convertit. *Quorſum iſta de Cicerone? ut quod Tu optime noſti,* PATER BEATISSIME, *cæteri quoque, ex veterum doctorum hominum judiciis, ſententiiſque intelligant, quantus fuerit Orator Cicero, cujus dictionis pars, non dicam exigua, quandoquidem ejus hominis dici nihil exiguum queat, ſed vix una, ſed minima, & ea quidem turbulentiſſimis everſæ Reipublicæ temporibus a fatigato, exercitoque, & pluribus anxietatibus, & curis vexato ſene in perſpicuo Reipublicæ occaſu habitante ponderis fuit, ut vitæ quoque Ciceronis, principis ſine controverſia mortalium, tantopere præpoſitá, non collata*

collata a ſingulis fuerit, qua cenſura, & pretio illa ſint perpendenda, quæ vigente, florenteque Republica in ætate conſtanti, in maximis honoribus, nec minore fortuna Cicero habuit, quaſi in orbis terrarum theatro frequentiſſimo, & Regum mundi conſeſſu ornatiſſimo. Cum adverſarius factus & prodiens pæne unus, & is quidem adoleſcens, pro Quintio dicturus, dominatum Syllæ contempſit, quo tempore in primoribus eloquentiæ ſuæ tyrociniis, vix biſcere audentibus fori proceribus, ex Ciceroniano ore, non quod de Neſtore dicitur, melle dulcior, ſed igne vehementior nequaquam fluere, verum erumpere videretur oratio. Cum M. Catonem gravitatis, & ſapientiæ illum authorem, ac magiſtrum, Serviumque Sulpitium civilis Juris moderatorem, & Senatus maximum columen, ita coram Judicibus pene luſu, jocoque tractaret, ut non contra principes Civitatis ſuæ pro Murena ſuo, ſed contra novitios adoleſcentes, ac rerum imperitos pro viro numeris omnibus ornamentorum civilium prædito videretur orare. Cum populariſſimam legem Agrariam, Populo Romano horreum, nunquam abſque maximo totius Civitatis motu agitatam, jam jamque Tribuum ſuffragiis prope omnibus, ut perſpicere erat, ferendam, Populo Romano tantopere erecto, & expectante, eodem populo judice, & præſide veluti alienæ cauſſæ, tamquam in vertiginem a ſenſibus omnibus alienato, ne ferretur, effecit, ut magis mirum ſit Ciceronem id agi poſſe, aut ſperaſſe, aut credidiſſe, quam agente Cicerone ab optatiſſima, & tamdiu ſitita lege Populum Romanum receſſiſſe. Cum Sergium Catilinam tantis fautoribus, machinationibusque ſuffultum togatus ex Urbe armatum ejecit, & lingua opibus omnem vim peſtiferarum facium illius extinxit. Cum de manibus Cæſaris, rerum omnium potiti, Dejotarum, Ligariumque ſubduxit, ut cui Romana potentia armato ſuccubuit, eidem irato, perſuaſoque candor linguæ Tullianæ iram, animumque ſubtraxerit, & prope renitenti ex reis abſolutos & damnatis reſtitutos, ut ſuos eſſe vellet, vehementer homini dominanti inimicos reconciliavit. Quid non valuit vox tua divina Cicero? Quid non effecit? Dominatori orbis ipſa dominata eſt, & populi terrarum victoris effecta eſt ipſa dominatrix; ut jure hemiſtichion illud in Auguſti adulationem compoſitum, de ſummo poeta tollendum videatur, nam de animis certe hominum ab initio usque ſublatum eſt. Orabunt cauſſas melius. *Quis*

enim

Digitized by Google

enim Demoſthenes? Quis Eſchines? Quis Neſtor? Quis Ulyxes? ne fabulas quoque ſileamus, quis unquam Mercurius, non dixerim melius Cicerone, ſed vel pari aſſenſu audientium peroravit? Qui vel puer, & adhuc Urbis inquilinus, Arpinas inquam, adhuc meracus, nondum Romanus, omnino inter filios Principum Civitatis propter ingenii, ac linguæ immortalem gloriam, etiam increpantibus filios ſuos parentibus, certatim tamen adoleſcentulorum ſtudiis medius tamquam in arcem Urbis, in faſtigium certe orbis collocandus, deducebatur. Qui adoleſcens Græce apud principes eloquentiæ Græcorum orans, meruit ingens teſtimonium viri laudatiſſimi Apollonii: Unum eum eſſe, cum quo facundia quoque a Græcis ad Romanos deducta tranſiret. Qui Oratorum maximus cum fuerit, & regnator Fori, ac Senatus, & Judiciorum arbiter, quod alia Epiſtola explicandum reſtat, non minor tamen fuerit in vitæ magiſtra Philoſophia. Non ſum neſcius a Lectoribus multis Orationum Argumenta deſiderari, quod ego, quia alterius operis eſſe putavi, conſulto præterii. Sunt earum multa in Pediano, ſunt in aliis magnis veterum Authoribus, ſunt in recentioribus quædam Luſco, & Trapezuntio, quæ a diligentioribus ſtudioſis facile poterunt exquiri. Ego ſi de C. Plinii libro ſeptimo Naturalis Hiſtoriæ unum teſtimonium de Cicerone in hujus Epiſtolæ calce poſuero, finem ſcribendi faciam, & Orationum noſtri Voluminis indicem ſubnectam. Quædam enim memini me alio in Opere magnæ commendationis Ciceronianæ, de qua nihil tam magnum dici poteſt, quod non pro ejus viri meritis minimum ſit, a clariſſimis Authoribus ſumpta poſuiſſe, quæ legere cupientibus erunt in promptu. C. Plinius. Sed quo & te, M. Tulli, piaculo taceam? quove maxime excellentem inſigni prædicem, quo potius quam univerſi populi tuæ illius gentis ampliſſimo teſtimonio, e tota vita tua Conſulatus tantum operibus electis? Te dicente legem Agrariam, hoc eſt alimenta ſua, abdicarunt Tribus. Te ſuadente Roſcio theatralis authori legis ignoverunt, notataſque ſe Sedis diſcrimine æquo animo tulerunt. Te orante proſcriptorum liberos honores petere puduit. Tuum Catilina fugit ingenium. Tu M. Antonium proſcripſiſti. Salve primus omnium parens Patriæ appellate, Primus in Patria triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ, literarumque Latinarum parens, æque ut Dictator Cæſar hoſtis quondam

dam tuus de te ſcripſit, omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus eſt ingenii Romani terminos in tantum promoviſſe, quam imperii. *Habes de Marco Tullio Cicerone pauca*, PATER BEATISSIME, *de quo certatim viri doctiſſimi Græci, Latinique veteres, & noſtræ ætatis eruditiſſimi copioſiſſime ſcripſere. Ego hac Epiſtola propter Orationum immortalem ſplendorem, quæ aptiſſime præponi illis viſa ſunt, ſolum attigi, per Te M. Victorino nepoti meo, ex Hieronymo fratre germano, viro optimo, quem ab hinc biennium prope Domino reſtituimus, & cæteris nepotulis meis, quos in tutelam tui numinis jam dudum tradidi, & omnibus, ut perſcripſi, ſtudioſis gratificaturus. Vale perpetuo candidiſſime Papa. Romæ Natalis Dominici M. CCCC. LXXI. Pontificatus vero tui anno ſeptimo.*

Annus hic ad calcem Epiſtolæ appoſitus illos redarguit, qui cenſent Orationum Ciceronis Editionem an. 1472. nullo addito loco, ubi prodiit, & in cujus calce hoc Tetraſtichon legitur,

Hoc ingens Ciceronis Opus, cauſasque forenſes,
Quas inter Patres dixit, & in populo,
Tu quicunque leges, Ambergau natus ahenis
Impreſſit formis, ecce Magiſter Adam;

Cenſent, inquam, omnium principem eſſe. Nec aliam ea antiquiorem novit Jo. Georgius Grævius, cui luculentam, & facile omnium præſtantiſſimam earum Orationum Editionem debemus, Amſtelod. 1699. ſex voluminib.

Antequam Ciceronem dimittamus, placet adnotare Epiſtolarum ejusdem Familiarium Editionem, quæ prodiit Venetiis an. 1469. opera Joannis Spirenſis, primam omnium habendam eſſe ex iis, quas ipſe Joannes Venetiis vulgavit, primumque eundem Joannem habendum,

N qui

Digitized by Google

qui Venetiis Typographiam exercuerit, ſi hujus verſibus ad illius Editionis calcem appoſitis fidem habeamus (*e*), qui ita ſe habent.

Primus

(*e*) Verſibus his omnino fidem habendam eſſe cenſeo, præſertim quia Nicolaus Jenſon, aliiue veteres typographi Veneti nunquam iis contradixerunt. In Weislingeri quidem Armamentario Catholicorum p. 17. recenſetur Franciſci Materatii Peruſini de componendis verſibus hexametro & pentametro Opuſculum in 4. aſſeriturque in fine ejus hæc legi verba: ***Erhardus Ratdolt Auguſtenſis probatiſſimus librarie artis exactor ſumma confecit diligentia. Anno Chriſti MCCCC-LXVIII. VII. Calend. Decembris. Venetiis.*** Sed hic in anni numero erratum eſſe, dubitandum non eſt, cum Erhardus Ratdolt Venetiis primum ſociatus Bernardo Pictori & Petro Loslein A. 1475. ſolus vero demum A. 1478. artem ſuam exercuerit. Hinc MAITTAIRE Annal. typogr. Tom. I. p. 391. edit. II. hoc ipſum opuſculum, cui vero formam integri folii adſcribit, recenſens, hic errorem manifeſtum pro LXXVIII. eſſe commiſſum monet. Iucundiſſimum lectori rei literariæ ſtudioſo futurum ſcio, hic recognoſcere, quæ hac de re erudite diſputantur in Bibliotheca Smithiana, ſeu Catalogo librorum Viri illuſtris Joſephi SMITHII Angli per cognomina Authorum diſpoſito, ac Venetiis typis Jo. Baptiſtæ Paſquali A. 1755. in 4. excuſo, p. CXVI. „Librum hunc (Epiſtolas nimirum familiares Ciceronis) primum omnium Venetiis cuſum, eoque Joannem „de Spira, Vindelini Fratrem, typographicæ artis initium poſuiſſe, „certo affirmari poſſe reor, cum ante annum 1469. nullus neque „ab ipſo Joanne, neque ab alio Typographo liber ſit editus. Ne„que obſtat, quod Nicolaus Jenſſonius libellum, cui titulus: ***De„cor Puellarum***, Anno 1461. ut in fine legitur, emiſiſſe dicatur. „In numerales enim illius anni notas mendum irrepſiſſe neceſſe eſt; „proque anno 1461. annus 1471. reponendus eſt. Præterquam „enim quod in ſelectiſſima Eruditiſſimi viri Apoſtoli ZENI Biblio„theca libelli duo exſtant Annum 1471. præferentes ab ipſo Jenſſo„nio editi, quorum alter pro titulo habet. ***Queſta e una Opereta „La quale ſi chiama Palma virtutum, zioe Triumpho de virtude: la „quale da Riegola: Forma: & modo a qualunque ſtato: ouer perſona „ne ſeculo ſe ſia: a poder viuer ſenza peccato mortale non impiaziando „niuno ſuo boneſto e neceſſario exercitio al victo pertinente e al veſtito „conde-***

Digitized by Google

Primus in Adriaca formis impreſſit ahenis
Urbe libros Spiræ genitus de ſtirpe Johannes.
In reliquis ſit quanta, vides, ſpes, Lector, habenda,
Quum labor hic primus calami ſuperaverit artem.

Hi verſus crucem nobis figunt, quibus nimirum compertum jam erat, Nicolaum Jenſon, natione Gallicum, poſt Typographiæ Inventores Fauſtum, & Schœferum, in conſpectum ſe dantem, præla in ea Adria-

,,*condecente.* In fine *Deo gratias Amen. Opus Nicolai Jenſon Gallici*
,, *MCCCCLXXI.* Alter vero : *Parole deuote de l'anima inamorata in miſ-*
,,*ſer Jeſu.* In fine. *MCCCCLXXI. octavo Idus Aprilis : per Nicolaum*
,, *Jenſon Gallicum Opuſculum hoc feliciter impreſſum eſt :* eadem plane
,, forma, charta eadem, iiſdemque typis exarati, quibus *Decor pu-*
,, *ellarum,* quæ formæ, chartæ, typorumque ſimilitudo facit, ut eodem
,, tria hæc opuſcula anno excuſa veroſimiliter dici poſſint ; quis cre-
,, dat Jenſſonium, poſt inſtructam tot tantiſque ſumptibus typo-
,, graphicam officinam, ab Anno 1461. ad Annum 1470. otiatum
,, omnino eſſe, nihilque per octo continuos annos emittere voluiſſe ?
,, eo nimirum tempore, quo hæc ars innoteſcere cœperat, libri-
,, que, tanquam novæ res, incredibili cum voluptate excipiebantur ;
,, quæ quidem tanta per id tempus fuit, ut Joannes de Spira Fami-
,, liares Ciceronis Epiſtolas bis intra annum edere coactus fuerit.
,, Qui certe adeo perfrictæ frontis fuiſſe cenſendus non eſt, ut
,, omnis verecundiæ expers impudentiſſime ſit mentitus, ſeque in
,, Adriaca Urbe, in qua ipſe Jenſſonius eſſet, primum typographum
,, dixerit. Jenſſonium vero ita bonum hominem, ne dicam ſtupi-
,, dum, reputabimus, ut apertiſſimum mendacium minime agueret,
,, ſilentio etiam probaret, ſuamque ſibi præreptam laudem nunquam
,, doleret ? Alia profecto ad rem probandam argumenta non deſunt,
quæ, ne ſim longior, omitto ; pluraque item annorum falſo appoſi-
,, torum exempla ſuppetunt, quæ attendere ſi velimus, vera artis
,, typographicæ Epocha incerta adhuc eſſet.,, Conf. CLEMENS
Biblioth. cur. hiſtor. & crit. Tom. VII. p. 126. ubi antiquiſſimæ pariter ac rariſſimæ Ciceronis Epiſtolarum, a pag. autem 130. ad p. 155. aliorum ejuſdem operum editiones docte recenſentur.

ca Urbe collocaſſe, ibique vulgaſſe anno, qui in libri calce (*f*) notatur, 1461. celebre admodum Opus, quod *Puellarum Decor* inſcribitur. Hac in re hærere nobis aquam fatemur, quod pariter faſſus eſt Annalium Typographicorum parens.

Tandem adnotamus, nihil Ciceronis impreſſum typis apparere ante libros de Officiis, & Paradoxis Moguntiæ editos ab Joanne Fuſt an. 1465. ad cujus calcem legitur hæc nota: *Præſens M. Tullii Clariſſimum*

(*f*) Si verba illa finalia, quæ MAITTAIRE Annal. typ. Tom. I. p. 37. edit. I. recitat, typis ſunt expreſſa, mihi nullum eſt dubium, anni numerum mendoſum, & pro LXI. legendum LXXI. eſſe, cum Jenſonium anno demum 1470. libros excudiſſe, conſtet: ſi vero calamo veteres typos æmulante ſint adſcripta, manum falſarii eandem fraudem hic commiſiſſe arbitror, quam in Diatribæ præliminaris Obſ. XXX. de exemplari Dialogorum Gregorii, in Bibliotheca Comitis de Pembrok exſtante, annotavi. In altera editione Tomi I. Annal. typ. p. 6. MAITTAIRE narrat, alium in quodam catalogo librum Italicum, itidem a Nicolao Jenſon A. 1461. excuſum, a Comite Pembrokiano viſum fuiſſe, cujus titulus, lectu licet ob informem literarum non plane deſcriptarum figuram difficilis, exhibere videbatur *Delle Cani*: illum Catalogum Comitem ab Italo quodam Londini commorante accepiſſe, navimque, qua libri in Catalogo deſcripti vehebantur, prope oras Galliæ fractam fuiſſe. Hæc ſi conferamus cum iis, quæ Dav. CLEMENS Tom IX. *de la Biblioth. Curieuſe* p. 380. ſq. ex literis Ill. MEERMANNI & Tom. X. *de la nouvelle Biblioth. German.* p. 453. de Italo quodam falſario, Amſtelodami diverſante, obſervavit, qui hujusmodi fraudibus Anglos aliosque bene nummatos bibliophilos circumvenire ſolebat, probabile eſt, ab hoc vel alio hujuſce furfuris homuncione iſtiusmodi etiam dolum in ſubſcriptione *Decoris puellarum* fuiſſe patratum. Ego ſane naufragio illo, quo intercidit liber Jenſonianus *delle Cani* nihil detrimenti paſſam eſſe rem literariam exiſtimo. Veterator enim ille Italus haud dubie, ſi fuiſſet ſervatus, & in Anglia aliquem pecunioſum magnatem reperiſſet procum, hoc pacto denuo orbi erudito proterve illuſiſſet, ac novam literatoribus fixiſſet crucem.

Digitized by Google

mum opus Johannes Fuſt, Moguntinus civis, non atramento, plumali canna, neque area, ſed arte quadam perpulchra Petri manu pueri mei feliciter effeci finitum. An. MCCCCLXV. Multa de hac Editione Lector tradita reperiet in Annalib. Typograph.

S. AUGUSTINUS.

§. III.

Poſt Lactantium, & Ciceronem Romana præla nobis exhibent Auguſtinum, & Hieronymum, præſtantiſſimum Eccleſiæ Doctorum par. Ea, quæ ad primum ſpectant, paucis omnino expedienda ſunt verbis. Opus S. Auguſtini de Civitate Dei jam diximus Vindiciar. Cap. I. editum fuiſſe an. 1468. Romæ, ad cujus calcem leguntur hi verſus. *Hoc Conradus Opus &c.* ibique pariter diximus, aliam extare ejusdem Operis Editionem, Typographi quidem, & loci indicio deſtitutam, quam tamen in Monaſterio Sublacenſi prodiiſſe, ex ipſa characterum forma, cum Annalium Typographicorum parente conjecimus, quæque præfert has temporis notas: *MCCCCLXVII.* PAULI II. *tertio, tertio regnante Frederico, indictione* XV. 12. *Junii. Deo gratias.* Quum neutra Editio Præfatione aliqua ſeu Typographi, ſeu Editoris exornetur, id unum hic dicendum occurrit, Opus illud Auguſtini denuo ab iisdem Germanis Typographis excuſum fuiſſe anno 1470. cum verſibus in fine: *Aſpicis illuſtres &c.* tertiamque hanc Editionem (ni quartam dicere malimus, nam alia eo ipſo anno Venetiis prodiit per Joannem, & Vindelinum de Spira) habitam fuiſſe pro omnium prima a Bernardo Montfauconio Diar. Italic. Cap. XVIII. *In ædibus* (inquit) *Maximorum an. 1470. cuſus primo fuit Auguſtinus de Civitate Dei.* Atque ita Vir Cl. juſto recentiorem cenſuit primam hujus Operis Editionem, quum Lactantii Sublacenſem illam, de qua ſuperius §. I. non ſeipſa tantum vetuſtiorem, ſed & Typographicæ arti in Italiam in-

Digitized by Google

vectæ anteriorem effeciſſet eodem Cap. Quam poſtremam opinationem iterum inculcavit Cap. XXII. his verbis: *Jam diximus Sublaci primum Lactantii Inſtitutiones typis datas fuiſſe an. Chr. 1461. quod an obſervatum pridem fuerit, ignoro.* Non aliud Auguſtini Opus, præter illud de Civitate Dei, ſeu Romæ, ſeu alibi regnante PAULO II. excuſum fuiſſe, ex Annalium Typographicorum fide affirmamus, nec mirum hanc Operi illi prærogativam conceſſam, quum in ipſum Auguſtinus tanquam in theſauros conjecerit, quidquid apud veteres legerat Authores Varronem præſertim, Saluſtium, Livium, Ciceronem in libris de Republica; *quo factum eſt* (ita loquitur Ludovicus Vives in Epiſtola ad Henricum Angliæ Regem, Operi illi, ſuiſque Commentariis præfixa) *ut aliud agens, magis optimarum rerum ſervarit reliquias, domiciliis earum, & quaſi ſedibus, unde prius peti ſolebant, everſis (g).*

S. HIERONYMUS.

§. IV.

Binas Epiſtolarum S. Hieronymi, una cum nonnullis ejus Opuſculis, intra biennium, ſcilicet ab an. 1468. ad an. 1470. vulgatas Romæ Editiones, easque ab iisdem Typographis, Conrado, & Arnoldo ſæpius laudatis, commemorant Annales Typographici, Richardus Simonius Selectar. Epiſtolar. T. 1. Epiſt. XXXIV. antiquiorem ex ipſis in Bibliotheca Colbertina a ſe viſam ſcribens, Dominicus Vallarſius in Præfat.

(g) Hujus operis præſtantia fecit, ut in Italicum ſermonem converſi duæ antiquæ editiones, in Bibliotheca Hulſiana quondam, teſte Catal. Tom. I. p. 18. obviæ, prodierint, quarum una loci & anni indicio deſtituta, altera autem Venetiis A. 1473. in fol. curata fuit. Neutrius MAITTAIRE mentionem habuit.

Digitized by Google

Præfat. ad Veronenſem Hieronymi Editionem, id ipſum, quod Simonius, de Novarienſi Bibliotheca prodens, Peregrinus Antonius Orlandus de Orig. & Progreſſ. Typographiæ, ac demum Author Catalogi Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ Impreſſ. Part. I. Unus Jo. Albertus Fabricius in Biblioth. Lat. Part. II. binas illas Editiones pro una, eademque habens, priorem tantum Tomum datum tradit an. 1468. poſteriorem vero an. 1470. Qua autem de cauſa adductus hic fuerit ad aliter in hac re exiſtimandum, quam laudati illi Scriptores, non liquet, nullam ipſo dicti ſui rationem afferente. Neutram ego ſententiam omnino probans, cenſerem annos illos 1468. & 1470. ita binas Editiones deſignare, ut unicam ſimul deſignent, vario tantum temporis indicio notatam. Utramque in duo Volumina diſtinctam fuiſſe, contra quam ſcribit Fabricius, certum reddunt ea ipſa Volumina, non ita quidem rara, quæ præferunt notam anni 1470. rariora vero, quæ aliam an. 1468. exhibent, cujuſcemodi in Veneta S. Marci Bibliotheca, necnon in Sublacenſi S. Scholaſticæ Cœnobio reperiri, certis documentis mihi innotuit. Ut autem binas illas Editiones ad unicam redigam, in cauſa ſunt, quæ ſequuntur. Tomus prior, ſive an. 1468. ſive an. 1470. notatus, unicam gerit Alerienſis Epiſcopi ad PAULUM II. Epiſtolam nuncupatoriam, & unicam Tomus poſterior, & ipſe cum utraque illa nota. Neutra vero Epiſtola duplicem Editionem ne verbo quidem indicat, ſed duplicem tantum Tomum, & quidem cum aliquo inter utriusque publicationem temporis intervallo. Credi autem minime poteſt, ipſum Alerienſem, ſi poſt adornatam Editionem an. 1468. aliam ex integro adornaſſet an. 1470. iisdem Typographis uſus, & eidem Pontifici nuncupans, poſteriori Editioni novam Epiſtolam adaptare neglexiſſe: qua & poſterioris Editionis cauſam, & adhibitam in ſecundis illis curis diligentiam, impenſamque a Typographis magnam pecuniæ vim, ob magnæ molis Volumina intra biennium cuſa, & recuſa, Pontifici de more enarraret; nihil enim frequentius in iis Alerienſis Epiſtolis legitur, quam laborum ſuorum in iisdem curandis, Typographicorumque ſumptuum commemoratio, unde Pontificiæ erga ſe beneficentiæ majora in dies argumenta impetraret. Sententiæ, quam adſtruximus, firmius adhuc momentum accedet ex binis illis Epiſto-

lis

Digitized by Google

lis jam jam recitandis, ſi Lector ad plura earum loca animum adverterit, quæ duplex Hieronymianorum Operum Volumen, nunquam vero duplicem Editionem teſtantur. Qua ratione Typographi e re ſua aliquando exiſtimaverint, uni eidemque Editioni varias temporis notas affingere, præſertim ſi pluribus Voluminibus non uno tempore emiſſis conſtaret, haud defuit occaſio ſemel, iterumque adnotandi in libro de Brixiana Literat. renaſcent. Literar. ætate.

Ea, qua ad primum eorum Voluminum Alerienſis præfatur, Epiſtola poſt commendatam in colligendis libris ſeu Principum, ſeu Pontificum curam, explicatamque, quam ipſe in recognitione veterum Exemplarium adhibebat, diligentiam, quamque jam in A. Gellio, in Irenæo Lugdunenſi Epiſcopo, & in pleriſque aliis oſtenderat, poſtea enarrat, qua ratione poſcentibus amicis gratificaturus, *D. Hieronymi libellos, Epiſtolaſque perplures mendoſe ſatis ſcriptas, & ex diverſiſſimis Epiſtolis prius collectas, in certum ordinem a doctiſſimo & optimo Patre Theodoro, Tarviſino Epiſcopo redactas*, ſuo ſtudio emendatiores edere ſuſceperit, opportuniſſimo quidem tempore, *quo Te* (ita PAULUM alloquitur) *Summi Pontificatus majeſtati præſidente, merito in melius cuncta profectura non ſolum ſperantur, ſed etiam perſpiciuntur.* Mox PAULI Principatus felicitatem extollit, quod Volumina antea vix centum aureis emenda, (*b*) poſt divinum Typographiæ inventum viginti tantum redimerentur, eaque bene exarata, nec mendis infecta; hocque

(*b*) Quanto olim pretio ante inventam typographiam libri MSS. venierint, nonnullis illuſtrare exemplis haud piget. Jo. WALCHIUS in Decade Fabularum p. 181. refert, unicum Bibliorum exemplar, quod totum membrana conſtabat, & impigri ac ſolertis alicujus ſcribæ ſeu Bibliographi manus aſſiduo labore poſt longum tandem tempus abſolutum reddiderat, quadringentis aut quingentis coronatis veniſſe. Quanti Antonius Bononia BECCATELLUS, cognomento PANHORMITA, Livium a POGGIO emerit, memorabile hoc ejus epiſtolium ad Alphonſum Regem Neapolit. declarat: „ Signi-

Digitized by Google

que illud eſſe ſubjungit, quod maxime in votis fuerat Nicolao Cuſano, Cardinali S. Petri ad Vincula, ut nimirum Ars illa, quæ oriri tunc in

O Ger-

„Significaſti mihi nuper ex Florentia extare T. Livii opera venalia „literis pulcherrimis, libri pretium eſſe CXX. aureos. Quare Ma-„jeſtatem tuam oro, ut Livium, quem Regem librorum appellare „conſuevimus, emi meo nomine, ac deferri ad nos facias. Inte-„rim ego pecuniam procurabo, quam pro libri pretio tradam. Sed „& illud à prudentia tua ſcire deſidero, uter ego, an Poggius me-„lius fecerit, is ut villam Florentiæ emeret, Livium vendidit, „quem ſua manu pulcherrime ſcripſerat: ego ut Livium emam, „fundum proſcripſi. Hæc ut familiariter à te peterem, ſuaſit hu-„manitas, & modeſtia tua. Vale & triumpha.„ Vid ejus Epiſto-las cum orationibus & carminibus Venetiis A. 1553. in 4. evulgatas, p. 118. Typographia quidem jam inventa, ſed in Italia nondum ſa-tis cognita, Plutarchi Vitis, in Latinum ſermonem converſis, ſta-tutum eſſe pretium LXXX. aureorum, Donatus Acciajolus Floren-tia A. 1465. d. 11. Maji ad Jacobum Card. Papienſem, qui eas de-ſiderat, perſcripſit. vid. hujus Epiſtolas, f. 542. & conſ. f. 539. Illud autem omnem fere fidem excedit, inventa jam diu typographia Bohuslaum HASSENSTEINIUM, Muſagetam ſui ævi incompara-bilem, Platonem Græcum, tum quidem nondum editum, ſed ab Aldo Manutio demum Venetiis A. 1513. publici juris factum, duo-bus aureorum millibus ſibi comparaſſe. Teſtatur id Bohuslaus BALBINUS in Epitome rerum Bohemicarum p. 583. cujus en tibi verba: „Ulyſſes & Plinius Bohemiæ appellatus eſt, illud ob pere-„grinationes per univerſam Aſiam, Europam, & Africam diligen-„ter obitas, iſtud ob varietatem doctrinæ, & ob Bibliothecam me-„morabilem multis librorum millibus divitem, nullis ad eam au-„gendam pecuniis comparceus, adeo ut Platonis græcum opus duo-„bus aureorum millibus compararit. Periit incomparabilis hic do-„ctrinæ theſaurus diu poſt Bohuslai mortem A. 1570. in arcis Com-„motovienſis ferali incendio. Teſtamento caverat (quod in tabulis „Regni legitur) ne libri ſeparari poſſent, legavitque Bibliothecam „univerſæ Lobkoviciorum genti, cujus uſum is tum temporis habe-„ret, qui inter Lobkovicios emineret doctrina, & ingenium hiſce „ſtudiis oblectaret.„ Id tamen ipſum etiam confirmat Bibliothecæ

Haſſ-

Germania videbatur, Romam deduceretur. Alias tandem PAULI Pontificis laudes recenſet, quibus tamen omnibus anteponit ejuſdem Artis inventum, ejus Principatus felicitati adſcribendum. *Nunc igitur ſume* (his verbis PAULUM ad Epiſtolæ calcem affatur) *Pontificum manſuetiſſime, & vere glorioſiſſime, S. Hieronymi primum Volumen, habiturus*

Haſiſteniæ Catalogus poſtremus librorum reſiduorum poſt miſerabilem illam circiter LXX. *ſic* voluminum conflagrationem in Arce Chomutovienſi, annexus rariſſimæ Farragini poematum & epiſtolarum ejusdem a Thoma MITI Pragæ A. 1570. in 8. publicatæ, ubi inter Græcos auctores manuſcriptos nitidiſſime commemoratur Plato 2000. ducatis Mediolani emtus. Thomas MITIS in epiſtola ad Georgium FABRICIUM, A. 1570. fer. S. Marci Evang. veteri Praga data, & Catalogo ſubjuncta, inter cætera de illa Bibliotheca refert, ex ea 700. volumina per Matthæum Aurogallum D. Sigismundo a Lobkowiez Wittebergenſis Academiæ tum temporis Rectori advecta fuiſſe, & poſt, quam ſatis uſi his fuerant Mart. Lutherus, & Phil. Melanchthon, & alii, reportata Chomutovienſem in arcem, hac vero deinde incendio vaſtata, periiſſe & ipſa, neglectu Domini arcis, & velut ad ignem damnata, ſuſpicione hæreſeos. Luculentum etiam raritatis pariter & caritatis librorum ante excogitatam typographiam documentum præbet memorabilis ſubſcriptio Lexici manu exarati, quod *Catholicon* vocatur. *Explicit liber Catholicon ſcriptus anno MCCCCXXXII. ad requeſtam nobilis viri Domini Matthei de Launays, pro tunc temporis Abbatis S. Amandi in Pabula, quem dicitur Abbas tunc temporis non habens gubernationem bonorum temporalium eccleſiæ prædictæ de propriis ſuis ſolvit pecuniis. Ordinavit denique idem, quod præſens liber in medio dictæ eccleſiæ collocaretur, & non ſolum conventuales illius monaſterii, quin immo curatus villæ ejusdem, capellani rector, rector ſcholarum, ceterique clerici & advenæ in eodem proficere valerent. Rogat demum dictus abbas omnes in hoc libro ſtudentes, quatenus omni menſe dicant orationem dominicam cum ſalutatione angelica ad honorem Dei, & animæ ſuæ miſericordiam apud Deum conſequendam.* vid. *Second Voyage Literaire de deux Religieux Benedictins de la Congregation de S. Maur,* Edmundi nempe MARTENI & Urſini DURANDI, edit. Paris. A. 1724 in 4. p. 100. conf. CHEVILLIER *L' Origine de l' Imprimerie de Paris*, p. 370.

Digitized by Google

rus deinceps ſtatutis temporibus ſemper nova tuæ felicitatis indicia, quaſi frugum te digniſſimarum primitias. Faſſus tamen antea fuerat non omnia in eo Volumine comprehenſa veros Hieronymi fœtus cenſenda.

Richardus Simonius loco paulo ante allegato agens de Prodromo, quem Joannes Martianæus, novam Operum S. Hieronymi Editionem curaturus, in lucem præmiſerat, mirari ſe ſcribit, hunc in Deſiderium Eraſmum, & Marianum Victorium, tanquam veterum Codicum, ad quos ipſi ſuas ejusdem S. Doctoris Editiones exegerant, corruptores, acerbe, & contumelioſe invectum, nullam ejusdem criminis culpam Joanni Andreæ, Epiſcopo Alerienſi, tribuiſſe. Longe æquior erga Alerienſem Vallarſius in laudata Præfat. quem de re literaria optime meritum fatetur, eique multam ſuam fidem, ac diligentiam in Latino Hieronymi contextu afferendo teſtanti haud quaquam refragatur; eademque uſus æquitate, Eraſmianam Editionem haud parum commendandam ſcribit, ſi Auctor ab effræni illa, & projecta Sanctos Patres carpendi temeritate abſtinuiſſet; multo adhuc magis commendat Victorii induſtriam, qui præter Romanos Codices, alios etiam per Italiam diligentiſſime conquiſitos, Florenriæ præſertim, & Brixiæ Monachorum Caſinatum, & Neapoli, Bononiæque Dominicanorum Patrum opera adjutus, conſuluerat, quique in ea Editione adornanda prolixam erga bonas literas trium S. R. E. Cardinalium, nimirum Guilielmi Sirleti, M. Antonii Amulii, Joannis Moroni, voluntatem, & collata ſibi ab iisdem beneficia gratus commemorat in nuncupatoria ad Pium IV. Epiſtola.

Epiſtola autem Alerienſis ad PAULUM II. hujusmodi eſt.

Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis ad PAULUM II. VENETUM PONTIF. MAX. *in Epiſtolarum D. Hieronymi primi Voluminis recognitionem Epiſtola.*

Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, cujus omnipotens Deus ad temporum noſtrorum fælicitatem Tibi, PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE.

VENETE, *Pontificum miſericordiſſime, ſancta dedit gubernacula, hanc habuiſſe conſuetudinem a Patribus accepimus, ut pretioſiſſimam librorum ſupellectilem diligenter ſemper exquireret, diligenter vero congregatam, cura Bibliothecario injuncta, conſervaret, Sacrorum præſertim Voluminum, in quibus ut divinior ſapientia, ita cognitu utilior continetur; ut ſi quando neceſſitas, exegiſſet ex ſacris Archivis deprompta Volumina ſpectarentur; ne ſoli, aut Athenienſis Piſiſtratus, aut Ægyptius Ptolemæus, cæterique in conſtruendis Bibliothecis Viri ſolertes; hac quoque in parte Chriſtianis hominibus diligentiores fuiſſe cenſerentur. Gordiano certe, ex Romanorum Cæſarum numero principi excellenti, una die ſexaginta Voluminum millia ad Bibliothecæ uſum dono tradita referuntur. Nec inter omnia Principum munera legitur illuſtrius ullum unquam fuiſſe eo, quo Philadelphus, præcipuus ille Rex Ægiptius, Eleazarum Judæorum Pontificem donavit, quique ab ipſo veteris Teſtamenti libros per* LXX. *meruit Interpretes ſuis hominibus in Græcam Linguam converſos exhibere. Sed quid opus eſt multis? Quicunque in Eccleſia Dei maxime floruerunt, impenſo ſtudio ſemper id egerunt, ut coacervatis undique Catholicis præcipue Voluminibus, ſedes ſuas exornarent. Sic Pamphilus, ſic Euſebius, ſic Hylarius, ſic Origenes, ſic omnes Deo digni Pontifices omni cura egerunt. Poſſem de gentium quoque Philoſophis, & prudentiſſimis ſæculi hominibus, Ariſtotele, & Varrone idem dicere. Senatum etiam Romanum, & quidquid prudentium Virorum in Orbe terrarum uſquam fuit, teſtes adducere, niſi ſole clarior hæc res ipſa aſſertores extra non quæreret. Verum cum doctoribus, & majoris induſtriæ Viris illam muneris dignioris partem concedi oportere cenſuerim, de alienis linguis, Hebræa ſcilicet, Punica, Arabica, Græca, & cæteris in noſtram linguam clariſſimorum Scripta in omni facultate traducendi, mihi doctorum abortivo, qui docti nomine non ſum dignus, ſatis viſum eſt, ſi in recognitione librorum, qui quidem imperitorum incuria depravati uſque adeo erant, ut intelligi poſſe nullo modo viderentur, adhibito labore, mendas, ſi non valerem omnes, aliquas certe tollerem, & amicorum conſilio, ſi qua vertenda eſſent efficerem Latina, ſi nimis obſoleta, ad uſum noſtrum, ſermonemque redigerem. Id igitur in A. Gellii, id in Irenei Lugdunenſis Epiſcopi libris, id in pleriſque aliis egi. Nuperrime vero cum D. Hieronymi Libellos, Epiſtolaſque*

que

que perplures, mendoſe ſatis ſcriptas, & ex diverſiſſimis Codicibus prius collectas, in certum ordinem a doctiſſimo, & optimo Patre Theodoro Tarviſino Epiſcopo redactas, qui apud tuam Sanctitatem, dum in mortalibus ageret, Apocriſarii munus, Referendariique cum magna commendatione ſemper implevit, amici quidam ad me delatas impendio popoſciſſent, ut mea diligentia emendatiuſcule redderentur, quo minore difficultate legi poſſent; excuſata rei magnitudine, ingeniolique mei tenuitate, ea conditione rogantibus annui, ut meo exemplo ad hoc utiliſſimum opus aptiores incitarem, ſciens ſæpiſſime eveniſſe, ut ex initiis tenuiſſimis magnarum rerum primordia naſcerentur; eoque id egi libentius, quod nunc præcipue viſum eſt tempus opportuniſſimum, quo Te Summi Pontificatus Majeſtati præſidente, merito in melius cuncta profectura non ſolum ſperantur, ſed etiam perſpiciuntur.

Quis enim non videt, nunc potiſſimum ſtudioſorum tempora vota ſua cælitus eſſe ſortita, in ſumma pace Italiæ, Urbis ſtatu quietiſſimo, rerum omnium copia, inquietis hominibus incuſſo metu, bonis vero protectione monſtrata, in Curia Romanæ ab omni ſorde mundicia, juſtitia vigente florentiſſima? Fateor equidem non eſſe hoc meum exiguum munus, tua dignum Sanctitate, quod tamen a me offertur, niſi quantum omnia D. Hieronymi, & ejusmodi Sanctorum, quandoquidem hæc ipſius Hieronymi non ſunt omnia, quantumvis minima, apud te tamen maxima ſunt. Sed quid facerem tot beneficiis a Te cumulatus? de pulvere, & ſtercore in Principum Solio collocatus? Deliteſcerem ne ſemper, & ex nimia verecundia ignaviæ crimine obruerer? Dabis veniam, PATER BEATISSIME, *Pontificum manſuetiſſime, Eccleſiæ Dei gloria, dabis veniam, & promptam voluntatem pro majori munere computabis, cum videris me digniora voluiſſe. Trado enim tibi quidquid habeo, & duo minuta in Gazophylacium mitto, & pilos viliſſimos, ut dicitur, ad templum Dei offero. Tuis certe temporibus ad reliquas Dei gratias hoc etiam fælicitatis Orbi Chriſtiano munus acceſſit, ut pauperrimi quique parva pecunia Bibliothecas poſſint redimere. An parva eſt hæc tuæ Sanctitatis gloria, ut quæ volumina vix centum aureis emi poterant aliis temporibus, viginti hodie, ac minoris bene exarata, & non mendoſiſſime facta redimantur?*

Digitized by Google

quæ vix viginti aureis lecturi mercabantur, quatuor, & vilius etiam nunc emantur? Adde, quod quidquid ingeniorum olim fuit, latebatque pene in pulvere, & tineis propter immenſos labores, ac nimia deſcribentium pretia, ſub tuo Principatu cæptum eſt ſcaturire, & per omnem Orbem uberrimo fonte diffluere. Ejusmodi eſt enim Impreſſorum noſtrorum, & characteres effingentium artificium, ut vix inter hominum inventa, non modo nova, ſed ne vetera quidem, quidquid excellentioris inventi poſſit referri. Digne honoranda, ſæculiſque omnibus magni facienda profecto Germania eſt, utilitatum inventrix maximarum. Hoc eſt quod ſemper glorioſa illa, & cælo digna Anima Nicolai Cuſenſis, Cardinalis S. Petri ad Vincula, peroptabat, ut hæc Sancta Ars, quæ oriri tunc videbatur in Germania, Romam deduceretur. Jam vota illius, qui Te, BEATISSIME PATER, *ut pupillam oculi ſui dilexit, coluit, admiratus eſt, credo ipſo ad genua Domini noſtri Jeſu Chriſti hæc flagitante, tuo tempore impleta ſunt. Tuus Pontificatus cæteris ex partibus glorioſiſſimus, hac Arte ad tuos ſanctos pedes advecta, oblivionem in hominum memoria nunquam accipiet, niſi ſi quando eſſe deſinet mentio literarum. Magnum eſt Te Venetiis natum ex clariſſima Barborum Domo, Eugenii quarti Pontificis Nepotem, tantæ Sedi, quaſi jure hereditario Pontificem Maximum ſucceſſiſſe; magnum, quod gravida bellis Italia, tuæ induſtriæ, authoritatiſque medicamento tandem abortivit; magnum, quod id, quod cæteris Pontificibus, vel metus tribuit, vel quodlibet artificium, Tibi Clementia ſola tua, & hominum ultronea affectio contulerit, & gratia; magnum, quod Conclave ingreſſus, prius Pontifex extiti, deſideratus omnibus, quam initium Electioni factum putaretur; magnum, quod ad gloriam Regni pacifici Salomonis Romanam provehis Eccleſiam; magnum, quod corruptelæ, & Simonia, & Bullarum ſuper Bullas involucra, in tua Curia tuo tempore ne nominantur quidem; magnum denique, quod abſque omni ſtrepitu omnia gubernantur ſub Auſpiciis, & Majeſtate tuæ Sanctitatis & quod Te Pontifice inter Prælatos nemo eſt intolerabiliter pauper. Verum hoc quoque magnum eſt,* PATER BEATISSIME, *& Deo amabiliſſime Pontifex, quod tuo tempore, non minus valet pene papyrus vacua, & nuda, pergamenave, quam hodie optatiſſimi libri emantur. Gloriati non immerito ſunt Principes nonnulli, quod ſaccus non*

multo

multo pluris ipſis principantibus emeretur, quam triticum, aut quam vinum, inanis veges. Ego poſteris in his Scriptis conſtanter ſemper admirationi futurum trado, præſtantiſſimos characterum imprimendorum authores, ſub PAULI II. VENETI *Pontificatu, Romæ Artem exercere cæpiſſe tanto artificio, & induſtria hominum, gratia nobis hac cælitus per divinum Paſtorem importata, ut minoris libri emi fere poſſint, quam alias ſoleret redimi ligatura. Nunc igitur ſume, Pontificum manſuetiſſime, & vere glorioſiſſime, Sancti Hieronymi primum Volumen, habiturus deinceps ſtatutis temporibus, ſemper nova tuæ fælicitatis indicia, quaſi frugum, Te digniſſimarum primitias, & fove Artis hujus utiliſſimæ ſub protectione Conradum, & Arnoldum Germanos homines, arte imprimendi præſtantes, advectores; & ſemen Cæli, populum Chriſtianum tuo munimini commendatum, apud Deum Orationibus, inter homines pace, & rerum omnium juva abundantia. Servulo tuo ſatis ſunt pedum oſcula beatorum.*

Quæ Alerienſis ad ſecundum Volumen præfatur, clarius adhuc indicant, quid diligentiæ in ea Hieronymi Editione curanda ipſe adhibuerit, quibuſue ſubſidiis. De Exemplaribus manuſcriptis, quæ conſuluit, ita loquitur: *Latina Codicum, quotquot habere valui, diverſitate, & omnium aſſidua vexatione, frequentique repetitione, plurium amicorum conſultatione, longo Scriptorum ejus a primis uſque annis uſu, & magnæ partis Latinæ linguæ Auctorum lectione mediocriter reintegravi, quamquam in pluribus Epiſtolis vix unum Exemplar, idque ſalebroſum, & minime facile intellectu propter mendarum multitudinem, & fragmenta quiverim invenire.* In Græcis autem vocabulis, quæ frequentiſſime in Hieronymi libris occurrunt, fatetur Alerienſis ſe in primis conſuluiſſe Theodorum Gazam, eumque eximiis laudibus exornat: *Hic eſt* (inquit) *meæ navigationis Septentrio, abſque Theodoro meo non magis quicquam aggredior, quam abſque meo genio.* Reſtabant Hebraicæ voces, quibus pariter Hieronymi libri inſperſi reperiuntur, eaſque Latinis characteribus effingere conſilium cepit Alerienſis, cauſamque ita reddit: *Miſſa igitur Hebraica feci, recogitans in ſuo quemque Volumine illa eſſe, ſi licuerit, & voluerit, ſuppleturum.*

Richar-

Digitized by Google

Richardus Simonius, qui, ut ſuperius vidimus, vitio dedit Alerienſi Latinarum vocum in Hieronymi Scriptis correctionem, qua factum fuerit, ut ipſis violentas plerumque manus inferret, eundem commendat, quod Hebraicas voces Latinis characteribus expreſſerit; nam id ipſum ab Hieronymo præſtitum fuiſſe clare idem Simonius evincit in Epiſt. XXXV. quæ ſuperius allegatam ſubſequitur, teſtes afferens Druſium, Riberam, & Frontonem Ducæum, hoſque de nuperorum Correctorum audacia conquerentes, quod nimirum ſuppreſſa, veteri Lectione Latinis literis expreſſa, novam, & Hieronymo incognitam poſuerint, & quod characteribus Hebraicis eam extulerint. Quod vero ſpectat ad Græcas voces, dupliciter peccaſſe ſcribit Alerienſem, ſeu potius ejuſdem aurigam, & genium Theodorum Gazam, quippe qui & frequenter vacuas iiſdem ſedes reliquerit, & quoties replevit, non breves eas voces, quas Hieronymus allegaverat, poſuiſſe contentus fuerit, ſed integros Septuaginta Interpretum verſus recitaverit, quum iis additionibus æquum foret locum tribui ad libri oras, non vero in ipſo textu. Et id ipſum peccaſſe conqueritur Simonius, Eraſmum, & Victorium, veteres illas Editiones plerumque exſcribentes. De his omnibus multo accuratius V. Cl. Dominicus Vallarſius in Præfat. Gener. ad nuperam Edition. Veronen.

Afferenda nunc Alerienſis Epiſtola ad ſecundum hoc Volumen.

Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis ad PAULUM II. VENETUM PONTIF. MAXIMUM *in recognitionem ſecundi Voluminis Epiſtolarum, & Tractatuum Divi Hieronymi Presbyteri, Epiſtola.*

ANte omnia munerum omnium largitori Deo, ac Sanctis ejus, ſecundo loco Tibi, PATER BEATISSIME, PAULE II. PONTIF. MAXIM. *ſtudia mea jamdudum dedicavi, ſacroſanctoque Fratrum tuorum Collegio ampliſſimo, in quibus R. Eccl. dignitas, & ſalus collocata, toto Orbe floreſcit. Prius igitur D. Hieronymi Epiſtolarum partem fere dimidiam cum illius Opuſculis, mediocri mea diligentia emendatam, in manus*

manus hominum miſimus. Nunc alteram partem, in qua fere reliqua ejuſmodi omnia collecta ſunt, tradimus. Tertium Volumen quomodo perquiramus, in quo, quicquid reliquum divini bujus Doctoris Scriptorum invenitur, poſt iſta redigatur, ſolerti animo meditamur. Hæc Tibi in præſentia, PATER BEATISSIME, *deinceps ad omnes literarum ſtudioſos, quorum Tibi eſt cura præcipua, noſtra flectetur oratio. Puto multos tamquam arduum opus accepturos, libros deſcribentium incuria, magna ſui parte depravatos, emendare. Quod ſi attente perlegerint, duo jam noſtra Divi Hieronymi vigiliarum Volumina præclara, contulerintque cum iis libris, qui prius vulgo lectitabantur, ſecus, mea opinione, judicabunt. Perſpicientes enim ipſum jam tunc graviter queri de quorundam importunitate librariorum, qui pene in ipſius oculis, ac cellula Codices ſuos corruperant, ut vix ſenſus ullus elici poſſet, forſitan nos aliquid egiſſe grata conſcientia prænuntiabunt. Tentanteſque idem ipſi in aliquo ſimilium Operum efficere, non minus facile inſtruentur, quantum ſit ei conandum, qui vel mediocriter emendandi velit ſuſceptam provinciam cum aliqua dignitate ſuſtinere; libertumque aliquando Ciceronis Tyronem commendabunt, quem Patroni ſui clariſſimos libros mirifica vigilantia correxiſſe traditur, atque recognoviſſe. Si quis autem erratum alicubi eſſe, quod fieri facile poteſt, a nobis deprebenderit, ipſe quoque potius mendum tollere, quam ſocordiæ nos arguere, boni conſultum volet, illius Horatiani prope oraculi memor,* Operi longo fas eſt irrepere ſomnum. *Multum profecto temporis ſeſe quiſque lucratum nobis, ſi ingratum non eſſe placuerit, acceptum feret, dum tantum legendo brevi morula fuerit aſſecutus, quantum nos multis vix diebus apprebendere propter rei magnam difficultatem potuerimus. Nibil enim differre arbitror librum recognitum diligenter babere, & ante prælegentem Magiſtrum conſidere, ut pene mediocriter quoque intelligenti, maxima, & abſtruſa quæque in diſciplinarum penetralibus pateant, cum certus de libri veritate, prope in duabus tabellis, velut grandem comprebenſam babeat Bibliotbecam. Quid enim aliud eſt prudenter commentari, quam recte quodammodo pronunciare, docteque diſtinguere? dum ipſe legentis diſtinctiones quaſi quædam ſint interpretamenti luminaria. Ex quo præclare ad Nepotem Auſonius:*

Digitized by Google

Tu flexu, & acumine vocis,
Innumeros numeros doctis accentibus effer,
Affectuſque impone legens, diſtinctio ſenſum
Auget, & ignavis dant intervalla vigorem.

Liber quidem pure deſcriptus, ſuis locis diſtinctus commatis, & punctis, cui non patent, non rupici homini, & ruſticano? Ejuſmodi, ſicut arbitror, & facto periculo noſci per quam facillime poteſt, noſtri ſunt libri. Quod ego aſſerendo, venaliores non facio illos, (abſit enim ab animo litterato talis cogitatio) ſed ad prompte legendos inertiores etiam invito, ſecurus de invidorum judiciis, qui non ſolent illa carpere, quæ vident nonniſi a pauciſſimis, & ſui ſimillimis lacerari. Dicenda ſunt tamen hoc loco, quæ mihi in hoc munere maximæ ſint viſæ difficultates, & quibus me inde conſiliis, adjumentiſque explicarim; ut qui tale quid efficere volet, niſi melius ipſe aliquid habeat, noſtra poſſit æmulatione proficere. Nam magnopere cupimus omni in facultate homines conſurgere (quod quidem ſperamus fore) qui pauci ipſi, & laudatiſſimi pro omnibus elaborent, veluti quidam Soles inter humana Sydera. Ego ipſe, cum viderem Divum Hieronymum, Virgiliano illo præcepto mirifice excitatum, quo dicitur: Labor omnia vincit improbus, *quia volenti nihil eſt difficile, cœpi impendio magis animari, quando me paucis ſtudioſorum dumtaxat labore (quod nulla dixerim arrogantia) ceſſiſſe, ſæpe numero expertus fueram, fortaſſiſque in ea parte adhuc nequaquam multis conceſſurum. At cum omni doctrinarum genere excelluiſſe illum divinum Virum graviſſimis teſtibus, imo omnium mortalium, qui poſt eum nati ſunt, perpetua ſententia perſpicerem, omniumque linguarum, quibus Eccleſia Sancta potiſſimum uteretur, notitiam habuiſſe, hiſque duabus rebus, maxima ſcilicet ſcientia, & linguarum gratiſſima, & utillima varietate, omnia ſua Scripta compleſſe, conſilium ex re cœpi, primum non eſſe diffidendum, tum deinde ad ætatis noſtræ doctorum hominum, illius ſimilium, quantum fieri poſſet, ſubſidia confugiendum, eaque in primis omittendum, quæ non tanta utilitate, & longe maximo labore, ac tempore erant conquirenda, & forſitan minime invenienda. Miſſa igitur Hebraica*

braica feci, recogitans in ſuo quemque Volumine illa eſſe, ſi licuerit, & voluerit, ſuppleturum. Latina Codicum quotquot habere valui, diverſitate, & omnium aſſidua verſatione, frequentique repetitione, plurium amicorum conſultatione, longo Scriptorum ejus a primis usque annis uſu, & magnæ partis Latinæ linguæ Auctorum lectione mediocriter reintegravi, quamquam in pluribus Epiſtolis vix unum Exemplar, idque ſalebroſum, & minime facile intellectu propter mendarum multitudinem, & fragmenta quiverim invenire; quod niſi Deus ipſe magis quam homines tunc juviſſet, fortaſſe efficere nequiviſſem. Reſtabant cognitu neceſſaria in primis Græca, ſine quibus, ut præcipua fere Latinorum Volumina, ita nullo modo hujus Sacratiſſimi Doctoris legi Scripta ad intelligendi profectum poterant. In his igitur nequaquam omittendis, tum alios quoſdam laude viros, & memoria dignos conſului, tum cum primo meum doctiſſimum, humaniſſimumque Theodorum Gazam, quem Latinorum hominum propitius Opifex rerum Deus, adjutorem, illuſtratoremque præcipuum, ut naſci voluit, ita ad nos miſit, quem, ſi quid egò ſuffragii habeo, inque judicando ponderis, facillime doctiſſimorum temporum hominibus quibusque doctiſſimis confero, multis etiam haud vulgaribus antepono. Hic eſt meæ navigationis ſeptentrio, absque Theodoro meo non magis quicquam aggredior, quam absque meo genio, omnem eo duce verius quam comite, me prope dixerim in corrigendo impoſſibilitatem ſuperatum ire poſſe confido, de quo utinam majora poſſem loqui. Auriga ingenii noſtri, & ſtudiorum oculus, ac Sol quidam litterariæ maturitatis, doctorum hujus ætatis in bonis litteris lumen, & decus, cujus converſatio vita eſt, & benevolentia immortalitas, cujus Viri utinam virtutes, & commoda, quibus aſſidue Latinos homines afficit, locupletius penſitarentur. Sed de hoc plura alias, de quo numquam nimia quisquam poterit dicere. Nunc ad propoſitum revertamur. In priore veluti in præſente quoque Volumine multa conniventibus oculis, nonnullis amicorum ſervientes, inſeri toleravimus, potius quam conſenſimus, ne pedaria quidem (ut ajunt) ſententia decernendo, quæ aliorum ſunt, & eorum ſane quædam, qui Divi Hieronymi, ut cum Statio dicam, veſtigia ſemper debeant adorare, ut ipſe quid ſentiam, affirmem, non modo attingere, ſed ne longiſſimo quidem intervallo queant proſpectare. Ea tamen minime

Digitized by Google

ſunt mala, aut ſcitu indigna, etſi Hieronymi ſplendore, & faſtigio ſint minora. Divum ipſum Hieronymum ſciebamus quibusdam in locis Scriptorum ſuorum veluti novum luſtrum facere. Nonnullos item præſtantis auctoritatis viros, inque ſuis facultatibus ſapientiæ, & famæ ſingularis, inter quos eſt, Pontificii juris decus egregium, Joannes Andreæ (i) *Bononienſis, qui veneratione, atque admiratione multa Divum Hieronymum ſuſpiciens, & proſequens ægerrime ferebat illota* (*ne nugalia dixerim*) *quædam tanto Doctori tribui, quæ ex illius Officina nequaquam prodiiſſe a mediocriter etiam ſtudiis, vel primis labris imbutis poſſent judicari; ex quo etiam ut de Homero Ariſtarchus, de noſtro Plauto M. Varro, de multis item plerique, ita ipſe in Scriptis ſuis fecit de Hieronymo; quæ hoc loco ideo commemoranda tantum, non etiam explicanda putavi, ne nimium me craſſa, & præcipiti emendationis Minerva uſum quiſpiam arguendum exiſtimaret. Et nos quidem manum ſubduximus ferulæ, auresque habemus non omnino inelegantes, aliquanto forſitan ab ejus hominis judicio alienas, qui aliquando, neſcimus quo inſtinctu, auſus eſt, lite nondum conteſtata, de noſtris ſtudiis præcipitare ſententiam; Qui quidem meo judicio multum ne quicquam ſapit, quoniam ſibi nondum eſt ſapiens. Quis ille hominum fuerit, ab eo malim quam a me pronunciari. Satis contentus ego ex mea verecundia, & ingenio fuerim, tamdiu exſpectaſſe reſpondere, ut vere aliquando, tempeſtiveque referrem, quod illum poſſet remordere, ut fiat aliquando cautior, & modeſtior, ſi id unquam potuerit ulla ætate indipiſci. Valeat igitur, atque deliteſcat. Nos ad noſtra ſtudia redeamus, quæ nemini invidemus, omnibus eſſe communia peroptamus, atque ob id quoque, ut bona ſint, & viliſſime emi queant, pro-*

(i) Jo. Conr. ZELTNERUS in Centuria Correctorum in typographiis eruditorum p. 65. ſqq. cum noſtro Epiſcopo Alerienſi celebrem tunc JCtum Bononienſem, ***Fontem Canonum*** appellari ſolitum, confudit, qui tamen jam A. 1348. Bononiæ fato perfunctus eſt. Noſter autem obiit A. 1475. prid. Non. Febr. quod ejus teſtatur Epitaphium in Phil. BONAMICI Libro de claris pontificiarum epiſtolarum Scriptoribus, Romæ A. 1753. in 8. edito, p. 202.

Digitized by Google

procuramus. Haud ignorantes ſtudioſorum difficultates, qui ſæpiſſime oleo egent, & rigeſcunt propter extremam rerum omnium paupertatem: illis, qui ditiuſculi ſunt, hoc certe non dubitamus evenire, ut malint pauxillum pecuniæ pro hujusmodi libris impendere, quam rependendi beneficii obſtringi, gratis accipiendo, neceſſitate. Nam vilis eſt animi, qui ſeſe potius velit digniſſimi muneris fateri debitorem, quam, cum poſſit, illud tenui diſpendio differat commercari. Legimus inter cætera apud A. Gellium, ſecundum tantum Aeneidos librum in ſigillariis 20. nummis aureis, emendationis ejus gratia diſtractum, & quod magis eſt, grandem exhibitam mercedem, ut ex libro emendato verſus unus tantummodo poſſet recenſeri. Illud quidem ſciant noſtra hæc legentes, multum nos pro tempore in hoc ſuſcepto munere laboraſſe. Quantum profecerimus ipſorum ſit cum judicio teſtimonium. Forſitan quispiam expectet, uti de immortalis Doctoris aliquid hoc loco gloria prædicemus. Voluntate id quidem conari nos poſſemus, non autem facultate. Ipſe de ſe lectus ubertim dicet, cujus facundiæ, & ſapientiæ crater, quanto crebrior, & meracior fuerit tanto pronior erit ad animi ſanitatem. Etenim quod Socratem dixiſſe ferunt prudenter, atque doctiſſime, hominum pectora eſſe oportere aperta, atque feneſtrata, uti non occultos, clandeſtinosque habeant ſenſus, ſed patentes ad conſiderandum, atque explicatus, quis unquam ejusmodi naturæ magis fuit, quam Divus hic Doctor? qui animum geſtavit in fronte, & in lingua voluntatem; qui maxima omnes homines docuit ubertate, redarguit libertate, allexit beneficio, provocavit exemplo. Morum vexillarius, religionis ſignifer, Paradiſi mango, vitæ Chriſtianæ exemplar, multo melior vita, quam major doctrina, etſi omnium maximus eruditione, ſeculorum poſt ſe excultor, priorum illuſtrator, utrorumque gloria & merito corona præcipua. Sed nos in ſilvam ligna, aquam in mare, ſtellas in firmamentum conamur afferre. Qui alium, præſente Hieronymo, quærit legere, cibario pane, relictis eſculentorum deliciis, cupit impleri. Illud ſit ſatis, hæc noſtra operula ſtudioſos homines ad legendum excitaſſe. Nunc patrum in liberos promptas voluntates invitemus ad hos libros levi patrimonii onere coemendos, filios autem ad ſtudendum alacrius, atque ferventius incitemus, & quicquid temporis deſcribendo inſumpſiſſent, quæ prius emere propter vim preciorum non valebant, nunc illud omne in per-

Digitized by Google

diſcendo terant. Quandoquidem fruſtra illis omnis eſſe librorum copia juſte videatur, qui plus chartas, quam doctrinam videantur dilexiſſe; quod facile multis accidit, qui in ſcriniis domi habent maximam recluſam librorum, & ſapientiæ ſupellectilem, & foris apertam circumferunt ignorantiam. Quid enim prodeſt homini acervos librorum habere, purpura veſtire, umbilicis ornare, minio illuminare, pulvere detergendo familiam occupare, oſtentationi proferre, ſepultis incubare, nominibus librorum plenum eſſe, ignorantia ſcatere, curarum vanitatibus tumeſieri, primis vix labris litteras ipſas deguſtare? Hæc videmur merito dicere debuiſſe, nos magis, qui pro omnibus laboramus, ne noſtro ſtudio Codicibus homines impleamus, ipſi incuria ſua deſegneſcant. Veterum multi abſque libris maxima quæque didicerunt, detrimentum memoriæ libros eſſe arbitrati, ut Galliarum Druides ſapientiſſimi, Pytthagoræi caſtiſſimi, Romani vetuſtiſſimi. Nos ne libros condemnamus, qui tempus omne in libris ponimus? Abſit, amiciſſimi, abſit. Sed ſi fieri poteſt diligentiam legendi excitamus, memoriam provocamus, ſapientiam poſcimus, quæ ut auxilio librorum eget, ita abſque vigilantiſſima exercitatione haberi non poteſt. Veniam neceſſariam damus Curialibus, qui officiorum publicorum munere communibus utilitatibus magis vivunt, quam ſibi; imo in eo ipſo ſibi maxime quia multis beneficiis in univerſum omnibus ſunt auxilio. Illis vero non damus, qui gratis deſident, tunc victuros ſe dicentes, cum de procurando funere vix tempus erit ſuper. Hos velim potiſſimum ſtudere, minimum vagari, quandoquidem Civiles homines, & in Clero poſiti, vel ad commiſſorum eis utilitatem, vel ad ſuam ipſorum commoditatem, ac veram tranquillitatem melius nihil queant invenire. Verum de his ſatis: non enim Diogenem induimus, qui liberis didicerat hominibus imperare. Reliquum eſt, ut non re tantum, ſed ſpe quoque laborum nutritia, eorum aures, qui hæc legerint, impleamus, quali, ut facile arbitror, avorum noſtrorum tempora caruerunt, qui in eo nobis etiam infeliciores fuere, qui non ſolum bonis, & emendatis libris eguerunt, ſed ne Doctores quidem in litteris humanioribus, ac cultoribus ullos habuerunt. Unde factum eſſe reor, ut tam ingenia, quam ſtudia, rubigine quadam quaſi callo obdurata perſorduerint, tandiu in ſqualore merſa, donec nati ſunt, ſuoque prope ipſi Marte delimati, Gaſparini illi præceptores,

res, & iis terſiores, locupletioresque Victorini, Guarini, & cæteri, quorum adhuc nonnulli vivunt, a quibus Patres noſtri viam diſcendi, ut facilitate, ita copia, & terſu, majorem ſunt adepti. Tunc tamen major multo, quam nunc librorum fuit penuria, aliis, atque aliis in dies, & inventis, & de Græcorum theſauro converſis, & ex novarum officinarum fabrica, vetuſtatem omnium exprimentium artificio ingenti, & felicitate elaboratis. Hoc igitur tempore & doctiſſimorum numerus ubique urbium frequentiſſimus eſt, & librorum minime vulgarium venales acervi, ut adhibito ſtudio, nihil defuturum iis videatur, qui voluerint; velle autem omnes debent, ſeſe efficere cultis quoque veteribus cultiores. Hæc felicitas donorum omnium datori Deo noſtro primum, quod initio præfatus ſum, tum Clementiſſimo Pontifici Maximo Dom. N. SS. ferri accepta debet, cujus æquiſſima Pontificatus adminiſtratione, & maxima omnium rerum moderatione, magna eſt pacis tranquillitas, & placida omnia quiete floreſcunt, ut cupientes civilem vitam degere in Chriſtiana charitate, ſtudiis dediti præſertim piis, tempus ſuum in primis habeant opportunum. Cæterum quia forſitan expectatis ſpei veſtræ quaſi promiſſum, & tamquam aliquod vadimonium, quænam potiſſimum Volumina veluti ad novam fæturam parata incubemus, accipite brevibus, quod optatis. Digniſſimum fuit, neceſſariumque maxime a ſacrorum Doctorum majeſtate incipere, veluti animæ, & vitæ ferculis potioribus. Ea nunc tamquam Dei menſas, atque altaria bellariis quibusdam, ac floribus conſpergentes, ſtudiorum quoque humanitatis difficiliores, elegantioresque in eo genere Auctores delegimus A. Gelium, Macrobium, Apulejum, Platonis defenſionem, & denique Declamationes quasdam elegantiſſimas, quibus nonnullas ejus generis doctrinæ appendices forſitan copulabimus. Horum quinque Auctorum, ceu quinque lapillorum pretioſiſſimis gemmis, coronam quandam ſtudioſis in correctionis auro fabrefacimus, quam qui eruditionis ſuæ capiti impoſuerit, absque controverſia multiplici varietate, elegantiaque fulgebit; erit enim ejus generis mundus, nam eo quoque nomine cenſeri merito poteſt, ut quamvis facultatum Reginam mirifice queat exornari, non nugis muliebribus, ſed decoris virilibus. Vos pro paupertinis ingenioli mei exigui, laboris vero maximi, proque Magiſtris noſtris Conrado, Arnoldoque characterum opificibus, qui noſtros conatus effingunt,

gunt, humilibus, ac devotis Orationibus Deum rogabitis, ut ſucceſſum nobis præbeat, cupidis tam divina vobis Volumina, quam humana præparare. Valete Amantiſſimi, atque Optatiſſimi lectionum comites, & caſtæ Latinitatis ſtudioſi.

Quod in Epiſtola ad primum Volumen Alerienſis monuerat, non omnes Tractatus a ſe editos pro Hieronymi fœtibus habendos, id ipſum in hac altera modo recitata diſertius affirmat, inſuper addens, nonnullos ex illis Hieronymi ſplendorem, & faſtigium non modo non attingere, ſed ne longiſſimo quidem intervallo proſpectare, indeque indignari ſolitum Joannem Andream Bononienſem, eos tanto Doctori a quibusdam per maximam injuriam tribui. De ſuppoſititiis Hieronymi Operibus, quæ nimis multa ſunt, ſe dicturum pollicetur Vallarſius in Præfatione ad poſtremum Tomum, ad quem eadem amandavit. Idem Epiſtolarum Collectionem adornavit, primus omnium laudabili prorſus methodo, nimirum Tractatus, & prolixiora Opuſcula, quæ ab ipſo Hieronymo in Catalogo, atque alibi, ſi quando eorum mentio occurrit, inter libros cenſentur, inde loco movens, & alteri Tomo reſervans.

Dum vero Alerienſis in eadem Epiſtola inculcat, ea ætate, & doctiſſimorum hominum numerum ubique urbium frequentiſſimum eſſe, quorum primipilos Gaſparinum Bergomatem, Victorinum Feltrenſem, Guarinum Veronenſem facit, & librorum minime vulgarium copioſam, facilemque parabilem ſuppellectilem reperiri, tam præclarum beneficium, poſt Deum Optimum Maximum, adſcribit PAULO II. atque iis quidem verbis, ut Platinæ, aliorumque calumniam de literis ab eo Pontifice odio habitis apertiſſime refellant, quod pluries adnotavimus. Adnotet autem, velim, Lector præ cæteris ejusdem Epiſtolæ verba illa, quibus monemur nihil prodeſſe, *acervos librorum habere, purpura veſtire, umbilicis ornare, minio illuminare, pulvere detergendo familiam occupare, oſtentationem proferre, ſepultis incubare, nominibus librorum plenum eſſe, ignorantia ſcatere, curarum vanitatibus tumefieri, primis vix labris literas ipſas deguſtare.* De quinque Auctoribus, ad quos in lucem

Digitized by Google

lucem emittendos Alerienſis ſeſe comparare ad calcem Epiſtolæ ſcribit, ſcilicet A. Gellium, Macrobium, Apulejum, Platonis defenſionem, & denique Declamationes quaſdam, nil opus eſt hoc loco dicere, quum locis ſuis ex inita a nobis ratione de ſingulis ſit diſſerendum.

Novam Hieronymi Epiſtolarum Editionem prodiiſſe Romæ an. 1476. in domo Petri de Maximis juxta Campum Floræ præſidente Magiſtro Arnoldo Pannartz, docent nos Annales Typographici, eo ſcilicet anno priorem partem, poſteriorem vero an. 1479. *per Venerabilem Virum Magiſtrum Georgium Laurentium de Herbipoli.* Editionem hanc memorans Vallarſius in laudata Præfat. elegantiſſimam eam vocat; at dum Georgio Laurentio (*k*) unice tribuit, & an. 1479. figit, ad ſecundam tantum ejus Partem reſpexit. Fabricius vero eandem prorſus ignoraſſe videtur. Ante ipſam duobus pariter Tomis cuſæ fuerant eæ Epiſtolæ an. 1470. Moguntiæ; ſubſecutæque poſtea ſunt tres Venetæ Editiones an. 1476. an. 1488. an. 1496. nec non Parmenſis an. 1480. quam omnium ſplendidiſſimam dicit Vallarſius. Hæc, quemadmodum & Romana an. 1470., in manibus mihi fuit, legique ad Tomi ſecundi calcem hæc verba: *Divi Hieronymi Religionis Eccleſiaſticæ Doctoris eximii huic ſecundo Epiſtolarum Volumini finis imponitur. Quod quidem Opus una cum priore Volumine in Urbe Parmenſi diligenter emendatum, & impreſſum eſt anno Natalis Dominici MCCCCLXXX. Idibus Madiis. In quo quidem, ut diligens poterit Lector advertere, multi & Tractatus, & Epiſtolæ, quæ in cæteris impreſſionibus minime reperiuntur, inſerti fuere.* Romanæ autem illius Editionis in calce primi Tomi hæc verba mihi occurrunt: *Impreſſum Romæ Opus in domo Petri, & Franciſci de Maximis juxta Campum Floræ, præſidentibus Magiſtris Conrado Schweinheim*

Q

(*k*) Non Laurentius, ſed Lauer vel Laur nominabatur hic typographus. Errori huic anſam dedit MAITTAIRIUS Tom. I. Annal. typogr. p. 398. edit. II. ubi Hieronymi Epiſtolarum Partem ſecundam per Georgium Laur. de Herbipoli Romæ A. 1479. excuſam eſſe ſcribit, alibi p. 312. & 334. eum rectius Lauer nuncupans.

Digitized by Google

heim, *&* *Arnoldo Pannartz An. Dominici Natalis MCCCCLXX. S. D. N. Domini* PAULI II. VENETI PONT. MAXIMI *an.* VI. *Urbe & Eccleſia florent.* Eaque ipſa verba in ſecundi Tomi calce leguntur, niſi quod omiſſo Franciſco ſolus Petrus de Maximo memoratur.

Dum hæc omnia de Romana Hieronymi Editione jam ſcripſiſſemus, imo vero iisdem excuſis, ſubſequenti §. jam Typographus initium feciſſet, valde opportune contigit, ut hujus operam remorantes, vel in hoc ipſo §. Lectorem monitum facere valeremus, ſententiam, quam de unica, non vero duplici, ea Editione PAULO II. ab Alerienſi nuncupata, ex conjectura tantum ſuperius adſtruximus, certam nobis modo evaſiſſe, quum binos Tomos, an. 1470. notatos, quos Romæ jam deprehenderamus, diligenter conferentes cum alio, quem pariter ut inſpiceremus, optatis noſtris fortuna ex inſperato reſpondens effecit, poſteriore ſcilicet cum anni 1468. nota, illico comperimus, iisdem prorſus typis abſque ulla varietate omnes illos Tomos excuſos fuiſſe, ac proinde certo innotuit, ipſos unam, eandemque Editionem componere, licet Exemplaria nonnulla Typographo libuerit anni 1468. indicio ſignare, reliqua vero anni 1470. profecto ut venaliora redderentur.

SACRA BIBLIA.

§. V.

Quum in ſuperiori §. actum ſit de S. Hieronymo, haud immerito de Sacris Bibliis illico dicemus, in quibus ſcilicet vertendis, explicandiſve non alius inter eximios Eccleſiæ Doctores eo excellentius laboravit. Vetuſtiores divini illius libri Latinas Editiones Annales Typographici nos docent, nimirum Moguntinam an. 1462. aliam abſque loci indicio an. 1464. tertiam an. 1466. Auguſtæ Vindelicorum, quar-

tam

Digitized by Google

tam an. 1469. Reutlingæ, quintam an. 1471. Romæ. Has omnes aut nihil, aut parum notas habuerunt Lucas Brugenſis, & Brianus Waltonus, cujus in Prolegom. IV. ad Bibl. Polygl. hæc ſunt verba: *Prima Bibliorum Editio impreſſa (erat Latinæ Vulgatæ) Moguntiæ an. 1472. teſte Luca Brugenſi Præfat. libri de Variantib. Script. loc. Aliam tamen illa priorem quidam ſe vidiſſe dicunt.* Romanam illam, quæ ad rem noſtram facit, ad manum habuimus, licet pro adeo rara eandem cenſuerit Maittaire, ut primum ejusdem Volumen viſum fuiſſe ab amico quodam ſuo in Bibliotheca Regis Hiſpaniæ Matriti, operæ pretium exiſtimaverit referre. In fine libri leguntur verſus: *Aſpicis illuſtres &c.* in fronte autem hæc habetur Alerienſis ad PAULUM II. Epiſtola.

Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis ad PAULUM II. VENETUM PONT. MAX. *Epiſtola.*

Chriſto Jeſu Domino Noſtro Optimo Maximo, qui Te PATER SANCTE PAULE II. VENETE PONTIFEX MAXIME, *Vicarii ſui Petri Apoſtolorum Principis prius nomine, dein Majeſtatis, ac Sedis gradu ſucceſſorem dedit, non poſſum pro merito gratias agere, quod illum diem lætiſſimus vidi, in quo utriusque eruditionis prima Volumina gratiæ ſcilicet, & naturæ impreſſorum noſtrorum induſtria ſub umbra numinis tui in medium litterarum cupidis jam multa ſunt propoſita; ut & qui ſæcularibus diſciplinis, quas Majores noſtri humanitatis vocarunt, & qui divinis contemplationibus vacant, in quibus ſeſe exerceant, parabiles de cetero Codices non deſiderent. Edidimus nos quidem prius multi nominis, ac ſtudii Authores celeberrimos, nunc utriusque Teſtamenti libros, quam Bibliam nominant, cupientibus exhibemus. Et quoniam id quoque putavimus ſtudioſis placiturum, in divini operis fronte Ariſteæ, magni illius viri, cujus Divus etiam Hieronymus in ſua Præfatione meminit, libellum* (*l*) *appoſuimus, ut qua hominum vigilantia, quo Dei munere, quibus* pra-

(l) Fuit etiam Nicolai MALERMI verſioni Bibliorum Italicæ A. 1471. primum editæ Ariſteæ hiſtoria ſubjuncta: unde R. Gedaliæ fuiſſe per-

Digitized by Google

præmiis de Hebræorum veris fontibus ad Græcos in Egyptum prius, poſtmodum ad nos Vetus Inſtrumentum derivarit, & qui ſcierant, recolant, & qui neſcierant, inſtruantur. In quo libello tum alia quædam præclara diſci poſſe perſpexi, tum id inprimis tales, tantosque Interpretes illos LXX. appellatos fuiſſe, quales, & quantos pæne LXX. Seniores, quibus ſpiritus Moyſi a Deo quondam ſit communicatus, vetuſtas ſancta præconavit. Quorum reſponſa, certaque oracula ſummis in omni ſtatu Viris clariſſima eſſe poſſunt ſpecula, in quibus vitæ utriusque omnes actiones contemplentur, ut ita quales ipſi ſint, & cujusmodi eſſe debeant, conſcientia ſua judicante cognoſcant. O nunquam ſatis laudata incredibilis virtus antiquorum! O ſemper vetuſtas caſta admiranda! quæ terreſtres plures habuit, ut ſic dixerim, Deos, qui eorum ingeniis veluti novis cælis, atque luminaribus unius veri Dei exemplo, ac dono mundum illuſtrarent, & in eo tamen ſolliciti forent, ut de mortalibus ſæculorum omnium poſſent agendi bene monſtrata luce promereri. Quid hac Interpretum paucorum præceptorum doctrina poteſt in tam exiguis chartis ſanctius legi? Quid utilius perdiſci? Magiſterium Principibus quoque omnibus ſæculis graduum quorumlibet propoſitum eſt, & tamquam norma rectiſſima oblata cogitationes ſuas omnes, atque actiones ad virtutis, & gloriæ culmen dirigendi, quaſi enim in annuli pollicaris palla impreſſa eſt ſolida, & exacta gerendi principatus vivæ imaginis diſciplina. Hinc ſe quisque qualis ipſe ſit, qualisve eſſe debeat, & amore ne, ac gloria, an vero contra odio, & dedecore dignus ſtatim poteſt explorare. Colligant in ſinum ſuum ex his monitis, & tam illuſtri ſigno cauſam ſuam Principes mundi rerum, & ipſi de ſe conſcientia nihil errante pronuncient; ut hoc modo ſibi, & principatus ſui tempus, & poſteritatis gratiam, ſi ſapiunt, parent. Sed Ariſteas ipſe legentibus multo hac Epiſtola melius ſatisfaciet. In divini autem Voluminis calce, veterum exemplo, verborum interpretationes Hebræorum annexuimus. In quibus ſi cuipiam videbitur alia deſcribendi, ideſt orthographiæ

perſuaſum exiſtimat Jo. Chriſtoph. WOLFIUS in Biblioth. Hebr. Tom. I. p. 215. illum libellum a Chriſtianis inter libros ſacros numerari.

phiæ ratio conſtare, quam quæ in Volumine deprebenditur, ſciat non eandem poſſe in Hebraicis, quæ in Latinis, & Græcis verbis ſolet, deſcriptionis regulam teneri. Non enim habemus varios illos characteres, quos Hebræi in iiſdem litteris nonnullis effingunt, vel punctis & notis peculiaribus ſignant; quod ſtatui memorare, ut qui legerit modo Eſaiam, *modo* Iſaiam, *& id genus quædam ſcribi nequaquam miretur. Etenim multo melius altero illorum modorum ejusmodi deſcribi nomina arbitror, quam quomodo vulgo deſcribuntur. Nam littera* y. *quæ tantum Græca eſt, & nullibi recte poteſt in dictionis capite absque aſpirationis nota exarari, qua ratione proponatur, non video. Sed de hujusmodi minutiis litteratores quidam certabunt, & ii maxime, qui ſunt elementorum potius figurarum, quam ſenſuum rationis ſtudioſi. Nos quo ordine Bibliæ libri in hoc Codice ſequantur, explicabimus. Tu vero,* PATER SANCTE, *quod aſſiduo facis, nos numinis tui majeſtate omni tempore defenſos ſereno tuo vultu ſuſcipe, & gratia Pontificiæ pietatis, ac perpetua felicitate Eccleſiæ Catholicæ corpus immaculatum rege, & ſimul in æternum.*

Romæ XV. *Martii Natalis Dominici Anno* MCCCCLXXI. *Pontificatus tui florentiſs. Anno* VII.

Mirari ſubit, in hac Epiſtola Alerienſem Epiſcopum ita præfari, ut Græcam tantum Septuaginta Interpretum Verſionem commendans, idque multis verbis, ne uno quidem præclaros Hieronymi labores, quibus Latina Bibliorum Verſio debebatur, commemorandos cenſuerit, perinde ac ſi non Hieronymianum, ſed Septuaginta-Virale opus evulgaſſet. Quæ autem prodit idem Alerienſis de Ariſteæ libello, acutiores Critici haud facile admittunt, ad quos curioſum Lectorem ablegamus. Hic vero recitabimus Matthiæ Palmerii Epiſtolam PAULO II. inſcriptam, & libello in ea ipſa, de qua loquimur, Editione præpoſitam.

Digitized by Google

PAULO II. VENETO SUMMO PONTIFICI

Mathias Palmerius felicitatem.

Cum & antea ſemper, B. PONTIFEX, *intellexerim,* S. T. *in perquirendis Majorum noſtrorum ſplendidis geſtis mirifice oblectatam, & nunc, quo amplior ſis, eo majori quoque, ut par eſt, ſtudio excellentium Virorum magnifica quæque perquirere, quum alia quidem omnia, tum ea maxime, quæ vel ad divini cultus ornatum excolendum pertinent, vel ad ſacras Patrum noſtrorum inſtitutiones firmandas, illuſtrandasque ducere videantur. Quod profecto ſtudium non ab re Sacrato pectori ab ineunte ætate firmiſſimo animi inſtituto divinitus inhæſiſſe omnes perſenſimus. Sed veluti in reddendis populo juribus, juſtitiaque ſervanda magnos excellit Patres, ſic & in emendandis hominum moribus, ac ſacris ad veram pietatem inſtituendis, perficiendisque ſummorum Virorum geſta, ceu exemplar, ſibi animo proponat, quod aut imitetur egregie, aut longe exſuperet. Rem plane Summo Pontifice dignam, & quæ hactenus vix paucis divino nempe munere contigiſſe fertur, Viris quidem quum omni virtute ſummis, tum ampliſſimis opibus accumulatis. Ex quorum numero ſi unum, aut alterum coram viſendum* S. T. *adduxero, neminem factum noſtrum reprehenſurum arbitror. Leget igitur* S. T. *ſi quando ab ingentium negotiorum, quibus aſſidue obruitur, cumulis parum ocii ſubripere valet, breve Ariſteæ, Viri quidem graviſſimi, de LXX. Interpretibus libellum pridem Latinum a me factum. In cujus profecto lectione,* BEATISSIME PATER, *Sacras Summorum Pontificum veſtes, vaſa, phialas, crateres, menſamque auream, cum ipſius Sacerdotis, ac Templi ornatum omnem, ſic cernere putabit, ac ſi ea omnia coram ante oculos luſtranda exponerentur. Adduntur præterea, quod jucundiſſimum eſt legere, quum ſapientiſſimorum Virorum dicta, reſponſaque graviſſima, tum mira quædam, & prorſus divina ſacrorum obſervatio. Accedunt ad hæc quales, quantique maximi & potentiſſimi Regis erga Sacerdotem ipſum cultus, honoresque ſerventur. Ex quibus rebus facile colligi poterit, quanta maxima laude extollenda ſit* SANCTITAS TUA, *cum neglectus diu Dei cultus, ac Clerus ipſe improborum inſolentia pene conculcatus, tua incredibili induſtria, tuo labore,*

Digitized by Google

lore, ac diligentia ſublevetur, exorneturque, ac in veterum ritum, veluti ab exilio revocatus, ſumma omnium gratulatione reducatur. Valeat SANCTITAS TUA *Servi ſui memor.*

Palmerius hic patria Piſanus, (*m*) Matthæi Florentini Chronicon, quod incipit ab an. 444. ubi deſinunt aliquæ Editiones Proſperiani Chronici, & usque ad an. 1449. exporrigitur, continuavit ab an. 1450. ad an. 1481. Eundem Græcis etiam literis valuiſſe, & ex libelli Ariſteæ Verſione, & ex aliis innoteſcit.

S. CYPRIANUS.

§. VI.

Priſcis Eccleſiæ Patribus, nimirum Lactantio, Auguſtino, & Hieronymo, quos ad Typographicæ Artis primitias exornandas, Alerienſis Epiſcopus Germanorum Opificum prælis, quibus præerat, ſelegiſſe jam vidimus, accenſendi modo ſunt Sanctus Cyprianus, & Sanctus Leo, & de iis ſtatim agendum, ac primo loco de S. Cypriano. Miſſum enim facere oportet S. Irenæum Epiſcopum Lugdunenſem, de cujus Operibus aliquando edendis Alerienſem quidem cogitaſſe dignoſcimus ex hujus Epiſtola primo Hieronymianorum Operum Volumini præfixa, & in ſuperiori §. recitata, at eadem illum edidiſſe Annalium Typographicorum Parens ſe minime noſſe profitetur. Confidentius ipſe de hac re loqui potuiſſet, ſi oculos ad Epiſtolam ejusdem Alerienſis, quæ

(*m*) Matthias PALMERIUS fuit Abbreviator & ſecretarius pontificius, mortuus A. 1483. d. 19. Sept. anno ætatis 60. cujus Epitaphium exhibet Phil. BONAMICUS in Lib. de claris pontificiarum epiſtolarum ſcriptoribus, p. 210.

Digitized by Google

quæ in initio V. Tomi Gloſſem. Nicol. Lyr. legitur, conjeciſſet. In ea ſiquidem ſingillatim deſignatis libris omnibus, quos Conradus, & Arnoldus usque ad an. 1472. impreſſerant, S. Irenæus reticetur. Epiſtolam illam ſuo loco afferemus. Nunc vero afferenda, quæ Cypriani Editioni præfigitur.

Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis ad PAULUM II. VENETUM PONT. MAX. *in Epiſtolas Divi Cypriani Epiſtola.*

V*ellem*, PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONTIFEX MAXIME, *ingenium quod exiguum eſt mihi, par eſſe voluntati; præſtantius equidem aliquanto & tuæ Majeſtati, & ſuſcepto recognoſcendi officio ſatisfacerem. Sed quando tantum efficere non valeo, ut cupio, id ſaltem meditor attingere, quod opinione mea tibi placeat, & non nihil præ ſe dignitatis ferat. Hoc certe tempore ſudanti ſatis mihi in immenſo Nicolai de Lyra ſuper Veteris, & Novi Teſtamenti ad litteram Gloſſemate, ab impreſſoribus noſtris, qui Bibliæ libros informabant, repente efflagitatus ſum, ut quoniam charta major illos defecerat, ne officinæ eorum vacarent, quod nunquam fit abſque ingenti artis diſpendio, aliquod minoris voluminis opus illis commodum expedirem. Res viſa mihi eſt, non parum difficultatis, & aliquanto magis periculi habitura, ut proſpere, & recte poſſem aliquid facere, paratis ſemper quibusdam ad nimis exacte judicandum, immo potius inclinatis, ſi quæ reprehendi videantur poſſe, quantumvis rara, & minima ſint, ea inſectanda deſumere, quam ſi quæ felicius, & induſtrius ceſſerint, etſi perplura forent, gratificantis ingenio, officioque complecti. Perſtiti tamen in vetere quodam inſtituto meo, melius eſſe judicans a paucis de quisquiliis quibusdam reprehendi, quam a bonorum multitudine labores meos deſiderari, certiſſimus potiſſimum de Clementiæ tuæ amplitudine, qui quidem ſemper mavis animi propenſi conatum fovere, quam frigidioris quoque ſtudii opera condemnare. Converti me igitur plurimo incitatus ardore ad ſublimis, & animi, & facundiæ Virum, Divum Cyprianum Chartaginenſem Epiſcopum & ejus Epiſtolas in manibus ſumpſi, fidentiore ob id conſcientia, quod olim adoleſcens*

Digitized by Google

leſcens famatiſſimis in Schol... ...enſibus agens, quo propter Urbis celebritatem, & ſtudiorum fervorem, atque animi cultum capeſſendum conceſſeram, ex vetuſtiore Exemplari eas manu mea deſcripſeram, ratus quod ita evenit, minus me in eo Codice difficultatis, & tamen apud Tuam Sanctitatem, & doctiſſimorum hominum mentes non minus gratiæ habiturum. Cæterum percurſo magis quam deambulato libro, cujus quidem ordinem ideo non mutavi, etſi videbam me aliquorum exemplo, non inepto ſane, id poſſe facere, quia & Urbis, unde illud habueram, majeſtati, & voluminis vetuſtati honorem ſtatui ſuum exhibere. Plura medius fidius verba elegantia quidem, & Latina annotavi, tametſi propere perlegendo, quæ viſum eſt alicujus interpretamenti propter tyrunculos quoſdam litterariæ facultatis indigere. Ea perfunctoria, & una lucubratiuncula expoſui, non ignarus ab aliis ea poſſe appoſitius, & ad unguem magis declarari. Quod utinam mihi cæteris in Operibus facere, in quibus non mediocriter contendi, veniſſet in mentem. Haberent a me profecto ſtudioſi ſi non ſtratam, & militarem Latinæ linguæ viam, calles ſaltem, & ſemitas quaſdam non omnino male ducentes, atque praviſſimas. Eo tamen id egi ſtudioſius, quod ſuperioribus diebus cum apud elegantiſſimi, & in primis culti animi Patrem Oliverium Carrafam Tituli Sancti Euſebii Cardinalem Neapolitanum aliquot convivæ cœnaremus, multo de litteris ſermone habito viſum eſt inter cætera præſtantiſſimi ingenii Viro, hinc quoque poſſe ſtudioſis morem geri, ſi vetuſta quædam in Authoribus verba, quæ partim pluribus ævi noſtri, partim fere omnibus inaudita ſunt, ab iis, qui totam prope vitam in ejuſmodi ſtadio conſumpſiſſent, fierent planiora. Et uti ipſe arbitrabar, res erat habitura plurimum voluptatis, & gratiæ nequaquam parum & abſque controverſia maxime videbatur neceſſaria, in qua ſemper doctiſſimi Viri, & omnium in doctrinis ſuarum ætatum primi impendio laboraſſent. Huic igitur tantum, & tam culto Patri, Te mihi propitio, in præſenti Epiſtola placuit veluti prægustationem exiguam exhibere, ut hinc experiretur, quantum illi optarem hoc tempore obſequi, ſemperque parere. Sed ego prius noſtrarum Epiſtolarum ordinem tranſcurram, multa de induſtria præteriens, immo vero pauciſſima delibans ex plurimis, ne amicorum meorum quiſpiam me exiſtimet dedita opera Cypriani verba omnia rariora collegiſſe.

In Epiſtola ſane numero ſecunda ad Cornelium Pontificem Romanum ſcripta, cujus principium eſt: Cyprianus, Liberalis, *verbum* ingregari *offendi magis compoſitione novum, quando originis, aut partium ſuarum ratione, idem ſignificare eum viſum, quod* adunari, *& unum in gregem cogi. In* III. *&* X. *&* XXVI. *&* LXI. *ſcriptum fuit* abſtinere *pro* repellere, *quod hodie dicimus* ſuſpendere *per Eccleſiæ cenſuras, vel excommunicare. In* IIII. exambire *pro* ambitioſe contendere, impetrare. *In* VI. *& item* IX. Succedaneus *a ſuccedendo pro* ſucceſſivus. *In eadem* VI. pranſit *tempore præterito pro* pranſus eſt. *In* VII. contriſtare *pro* contriſtari. *Poſſem equidem exemplis magnorum Authorum uti, veluti in hoc ipſo verbo Virgilii,* Et pluvio contriſtat frigore Cœlum. *Sed non eſt ſuſcepti operis munus; quod volui memorare ne putes hæc tantum in Cypriano perlegiſſe. In* VIIII. Sportulantes *ideſt accipiendis ſportulis dandiſve operantes. In* XI. alio *pro* alii *&* remiſſa *pro* remiſſio. *In* XII. *ac* XXI. tinctus *id eſt baptizatus, &* tingentes *id eſt baptizantes. In quo, ut in aliis multis, Græca facilius a Latinis, quam Latina ipſa intelliguntur. In* XIII. Epulares *cœnæ, hoc eſt* ſaliares, *& ferculorum multitudine, præcioſitateque opiparæ, &* amœnare *pro* oblectare, *&* pœnitendus, *&* epotatus *pro epotus. In* XIIII. brutus, *ideſt* inſenſatus, *&* autumna *neutro genere id eſt* autumni. *In* XV. comeſtura *ideſt* ærugo, *&* exhibitio *ideſt* victus, *&* ſtibium, *quod unguinis, ſive unguenti eſt genus, &* fidelia, *ideſt* hydria *&* capſaces *ideſt* lecytus, *quod eſt vas olearum, &* munerarii *ideſt* munerum hoc eſt ludorum exhibitores. *In* XVI. muſſitare *pro* murmurare *&* gremium *ideſt* manipulus. *In* XVII. animoſitas *ideſt* indignatio. *In* XX. plaſtici *ideſt* ars plaſtæ *hoc eſt fictorii. In* XXII. hybernus *ſubſtantive pro* hyems, *&* faventia *ideſt* favor. *In* XXV. ſed immo *pro* quin immo *& in* LVIIII. quin immo ſed, *&* diſcordioſus, *ſicuti etiam in* XXXI.. *In* XXVI. puramen *ideſt*, pus, *&* ſanies. *In* XXVIIII, partio, *ideſt*, partus. *In* XXXVIII. extorres I. lapſi a fide, *&* hypodiaconus, *ideſt*, ſubdiaconus. *In* XLI. tuitus eſt *pro* defendit, *In* XLII. delimare, *ideſt*, decidere. *In* XLIII. deſignare. I. peccare, *&* Presbyterum. I. Presbyterorum conventus, *&* palabundus. I. vagus. *In* LXV. ſtabulum, *ideſt*, hoſpitium meritorium. *In* LVI. figere. I. determinare. *In* LVIII. ineſtimalis *pro* ineſtimabilis.

In

Digitized by Google

In LVIIII. inordinaliter, *ideſt*, abſque ordine, & implanare *pro* decipere, & implanator, ſeductor, & excludere *pro* diſſolvere, *ac* impugnare, & fluxus, *ac* fluxi, *ideſt*, libido, *ac* libidinoſi, & hemitritæum *ſpecies febris incurabilis*, & protelare, *ideſt*, perducere, & ſuſtentatio, *ideſt*, patientia, & taxare *pro* tangere, & improboſus, egeſtoſus, dedecoroſus, pudoratus; *ab improbitate, egeſtate, dedecore, & pudore, declinata*, & Plagarius, *ideſt*, retiarius, & defingere *pro* maculare, & ancillatus, *ideſt*, compeditus. *In eadem* ſobrioſus, naufragalis, probroſitas, caſtificare, parilitas *a ſobrio, naufrago, probro, caſtum facio, pari. In* LX. aſpredo *pro* aſperitas, & mortiferare *pro* occidere, & depalatus, *ideſt*, vulgatus. *In* LXII. abdici *pro* interdici, & conſiliatio *pro* conſilii datio, & deprædari, *ideſt*, ſeducere, & urſi *præteritum tempus a verbo* urgeo. *In* LXVII. Clinici, *quos ibidem ipſe interpretatur Cyprianus. In* LXX. Cuſtodiarium *pro* cucumerario, & pinguamina, *ideſt*, adipes, & Senitium color niger, & ſuppedaneum, *ideſt*, ſcabellum, & ovis *maſculino genere*, & picrides, *ideſt lactucæ agreſtes*, & intuere *pro* intueri, & tæduit *preteritum a* tædeo, & abducere, *ideſt*, in domum colligere. *Poterit, ut arbitror, hoc exemplo doctior quisque, immo etiam indoctior, multa ſibi ipſe colligere tam in hoc Opere, ubi equidem, ut prædixeram, conſulto reliqui potius alia, quam contempſi, & in reliquis, in quibus & ipſe aliquando decreveram laborare. Tu*, PATER BEATISSIME, *quum tibi licebit ſpatiari, atque requieſcere poſt tot conciliandæ Italicæ pacis labores, poſt tam immenſas curas Turco iſti impio, & Hæreticorum inſaniæ reſiſtendi, poſt Pontificatus ſummi labores nunquam exiguos, ſemperque perpetuos, quaſi animi gratia ad Cyprianum tuum converte Clementiæ Pontificiæ, & Majeſtatis tuæ oculos, & per illum veniat tibi in mentem perpetuus cultor tuus, & manuum tuarum factura, Alerienſis Epiſcopus, & quaſi in cuſtodia carceris chartarii recluſum miſeratus aliquando exire jube, & perpetua felicitate commiſſam tibi Chriſti Eccleſiam rege. Romæ Pontificatus tui florentiſſ. Anno VII.*

Digitized by Google

In Calce

Aſpicis illuſtres &c. M. CCCC. LXXI.

In Præfatione nuperæ Editionis Operum S. Cypriani an. 1716. Pariſiiis ex Regia Typographia, memoratur quidem Editio hæc Romana, de qua modo actum eſt, quemadmodum & Veneta an. 1471. per Vindelinum Spirenſem, & alia innominata, quæ ſcilicet nec Urbis, nec Typographi nomen adſcriptum gerit, ibidemque obſervatur poſt nonnullos alios Eruditos, Spirenſem falſo vocari, quæ a Vindelino Spirenſi Venetiis cuſa fuit, hocque ex nomine errori locum datum; at Præfationis illius Author haud quaquam affirmat, ſe Romana Editione, quæ omnium princeps habetur, uſum fuiſſe. Eam ipſam vel in Catalogo Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ deſiderari animadvertimus. Quum tamen eo ſtudioſius & in Bibliotheca iſta adſervari, & ab Editore illo allegari, ad variantes Lectiones inde excerpendas, oportebat; quo majori in pretio Lutetiæ, quam alibi, habenda videtur, Alerienſe ipſo, ut vidimus, ita de ſe teſtante, *quod olim adoleſcens famatiſſimis in Scholis Pariſienſibus agens, quo propter Urbis celebritatem, & ſtudiorum fervorem, animique cultum capeſſendum conceſſeram, ex vetuſtiore Exemplari eas* (Cypriani epiſtolas) *manu mea deſcripſeram;* & præterea ſe Exemplaris illius ordinem omnino retinuiſſe, propterea quod *Urbis illius* (inquit) *unde illud babueram majeſtati, & Voluminis vetuſtati ſtatui bonorem ſuum exbibere.*

An vero Romana noſtra Editio pro omnium principe omnino habenda ſit, certo definiri non poteſt. Eodem ſiquidem an. 1471. & ipſa, & Veneta, ut diximus, prodierunt; neutra tamen nec diem, nec menſem præfert, unde quænam prior, quænam poſterior, dignoſcatur. Errorem ſuperius indicatum de Veneta hac, quæ paſſim pro Spirenſi venditatur, Editione adnotat Maittaire in nova Edit. Annal. Tppogr. T. I. P. I. p. 301. & jam antea nempe pagina 19. affirmaverat, ſe minime pro certo habere, quod plures tradunt, Vindelinum Veneta Urbe relicta conceſſiſſe in Germaniam: ibique Operibus imprimen-

Digitized by Google

primendis incubuiſſe, quum conſtet ex Catalogo in iis Annalib. Typograph. exhibito, eumdem libros Venetiis annis 1471. 1472. 1473. excudiſſe.

S. LEO MAGNUS.

§. VII.

Editor Pariſienſis Operum S. Leonis Magni, Paſchaſius Queſnellus, Lutetiæ primum an. 1675. deinde an. 1700. Lugduni, ab inſigni hallucinatione Præfationem ſuam incipit, dum veteres eorundem Operum Editiones recenſens, de harum principe ita loquitur: *Joannes Andreas Alerienſis in Corſica Inſula Epiſcopus primam Operum S. Leonis I. Editionem procuravit Venetiis an.* 1485. *typis Andreæ Parmenſis ſocii Artis Impreſſoriæ.* Neque ad annum illum vitam protraxiſſe cenſetur Alerienſis, neque unquam Venetis typis præfuit, nec annum 1471. prætergreſſus eſt Pontificatus PAULI II. cui Editio illa fuit ab Alerienſe nuncupata, demum nec ipſa Veneta eorumdem Editio typis Andreæ Parmenſis an. 1485. primum perfecta fuit, ſed typis Lucæ Veneti an. 1482. Utinam vero in ea tantum principe Editione inveſtiganda hallucinatus fuiſſet Queſnellus, non vero in aliis quoque multo majoris profecto momenti, dum ſcilicet haud raro & Romanæ Sedis, Eccleſiarum omnium Principis, & Matris, prærogativas, & ſanctiora quædam dogmata, quantum in ipſo eſt, in dubium revocare conatur, falſis argumentationibus uſus, & parum ſinceras veterum Codicum Lectiones pro libitu obtrudens; quæ duæ res efficiunt, ut ſaniorem, ac fideliorem Editionem ad Vaticanorum præſertim Codicum fidem piorum, atque eruditorum vota modo depoſcant, ac ſperent.

Romanam, de qua hic agimus, prodiiſſe an. 1470. tradunt Annales Typographici, & in ejus calce legi verſus: *Aſpicis illuſtres &c.* at quo fundamento ignoro, duplex enim vetuſtiſſimum Exemplar, quod inſpexi, temporis, locique nota, & verſibus illis deſtituitur;

Digitized by Google

præfert autem Alerienſis Epiſtolam, cujus nullam mentionem faciunt iidem Annales. Ea hujusmodi eſt.

Johannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis ad Summum Pontificem PAULUM II. VENETUM *Epiſtola.*

S*i Tua mihi* PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONTIFEX MAXIME, *Sanctitas antehac veniam tribuit, ex imperitia forſitan audenti tenuitatis meæ majuſculas lucubrationes tuæ potiſſimum dicare pietati, ut per ſeſe obſcuræ mirifico tuo illuſtrarentur fulgore, & fierent Te ſuſcipiente pretioſæ; merito bis Quadrageſimæ auguſtis, venerabilibusque diebus, inclitum illum Pontificem Leonem primum, natione Tuſcum, ut puto, in Calcedonenſi Synodo ſumma Patrum admiratione ter Sanctum acclamatum, Tibi maximo Pontifici tantæ Cathedræ thronum ornatiſſime implenti, debui offerre, non magna difficultate recognitum, ſed ſumma utilitate perlectum. Cujus in brevibus, ſed divino artificio conſummatis ſermonibus, latiſſima rerum divinarum myſteria, & ſecundum Canonicas Scripturas, quidam ſacri eloquii principatus includitur. Oratione enim parcus, ſenſibus vero ſublimis, in primisque cæleſtis, & quod eſt ante omnia admirabile, profundiſſimus pariter, atque planiſſimus Pontificia differens majeſtate, & Apoſtolico facundus eloquio, modeſtia illa vere Chriſtiana, virtuteque divina, viva nimirum Evangelii Tuba, & prope Electionis Vas alterum, caſtæ Fidei Sacramentis aures implet Chriſtianas; ut ſi plura illi ſcribere, vel Pontificalium negotiorum ingens labor, vel invidæ ætatis anguſta ſpacia permiſiſſent, omnes divinitatis theſauros facile fuerit ſupra expoſitoris etiam qualitatem aperturus. Hic eſt,* PATER SANCTE, *Leo ille Magnus cognomento, primus dignitate, eloquentia nemini cedens, multosque excedens ſapientia, brevitatis magiſter, & pene unicus artifex, qui tantæ appellationis nomen, ſanctitatis tamen merito ſuperavit, a ſacroſanctis Apoſtolorum memoriis nunquam diſcedens, cujus Tu quoque exemplo ſacratiſſima Apoſtolorum pignora ſemper amplexus, nullo tempore deſerenda cenſuiſti. Quo adhuc Diacono, & pro rebus Pontificiis ab Urbe abſente, Eccleſiæ Romanæ*

regius

Digitized by Google

regius Clerus, & Sanctus, Summi Pontificis prope duos menſes diſtulit electionis ſuffragia ſanctiora. Qui etſi vita omni maximus fuit, ſeſe tamen copia miſerationis exceſſit, & divini ingenii claritate, quem ſucceſſorum multi adeo ſunt admirati, ut diu continuata vocabuli ſucceſſione, Leones per ordinem voluerint appellari; a quibus Civitatis quoque Leoninæ facta eſt celebris appellatio. Hic eſt ille Leo, qui maximis Eccleſiæ Syderibus Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino (ne Græcas Pontificum majeſtates percenſeam, pares maximis omnibus excellentia) occidentibus orbi Chriſtiano, & cælo orientibus, Angelorumque conſortio, ut Sol quidam pro omnibus unus mundo ſatis fuit illuſtrando: quem ut fulgur perhorruit hæreticorum impietas, coluit ut Numen Imperatorum Majeſtas, plusquam dici poteſt, veluti Parentem venerata eſt fidelis cuncta Chriſtianitas. Hic eſt Leo certe Eccleſiaſticæ dictionis Tullius, Theologiæ Homerus, rationum fides Ariſtotelis; & ut omnia unico abſolvam verbo, Petrus in Pontificio Throno, Paulus in Pulpito Chriſtiano, ita demulcens, ut vinctos Auditores teneat, ita docens, ut ſenſibus divinis impleat, ita exhortans, ut ardoribus virtutis incendat, legendus, ediſcendus, imitandus. Hujus propria Pontificis jure dici poteſt Oratio, de quo a me magis illum ſtupente, quam laudante id ſolum accipi dictum velim, amari facile Leonem poſſe, pro merito nunquam laudari, prædicari licere. Is igitur ſit noſter in terris inſtructor, in Cælis apud Omnipotentem Deum interceſſor, qui eſt in ſæcula benedictus. Amen.

Ea verba: *Cujus Tu quoque exemplo ſacratiſſima Apoſtolorum pignora ſemper amplexus, nullo tempore deſerenda cenſuiſti,* referuntur ad id, quod Vindiciar. cap. VI. diximus, PAULUM ne ſemel quidem toto Pontificatus ſui tempore pedem ex Urbe moviſſe, adeo ut nec inſalubri anni tempeſtate, nec peſtilentia Romæ vigente alio unquam diverterit, quod ab ipſo factum cum Curiæ omnis querela ſcribit Cardinalis Papienſis, quum contra vitio datum foret Pio II. quod annis pene ſingulis ſui magis recreandi, quam aliorum cauſa Urbem relinquere conſueviſſet. Quod autem ſubdit Alerienſis, Regium, & Sanctum Romanæ Eccleſiæ Clericum prope duos menſes electionis ſuffragia diſtuliſſe, donec Leo Diaconus, pro rebus Pontificiis ab urbe abſens, revertere-

tur,

Digitized by Google

tur, clarius traditur a S. Proſpero in Chron. his verbis: *Quo* (Sixto) *defunćto, quadraginta amplius diebus Romana Eccleſia ſine Antiſtite fuit, mirabili pace, atque patientia adventum Diaconi Leonis expećtantes, quem tunc inter Aetium, & Albinum amicitiæ redintegrandæ cauſa Galliæ detinebant.* Demum, quod idem ſcribit, Leonis ſucceſſores ejus nomen adeo admiratos fuiſſe, *ut diu continuata vocabuli ſucceſſione, Leones per ordinem voluerint appellari, a quibus Civitatis quoque Leoninæ fačta eſt celebris appellatio*, haud multum conſonat longo illi temporum intervallo, quod inter eosdem excurriſſe deprehenditur, quum a Leone I. ad Leonem II. anni fere ducenti, & quinquaginta effluxerint, & centum fere a Leone II, ad Leonem III. quinquaginta & paulo amplius a Leone III. ad Leonem IV. hicque poſtremus ille eſt, qui antiquæ Urbi addidit novam, ab nomine ejus *Leoninam* dictam.

Placet autem, ne tam cito eximium hunc Doctorem deſeramus, ſuperius recitatam Alerienſis Epiſtolam Italice etiam afferre, quam nimirum præfert, ex Philippi Corſini, Filii Bartholomæi, interpretatione Editio Sermonum S. Leonis Florent. die 27. Maji an. 1485.

Epiſtola di Gio. Andrea Veſcovo Alerienſe a PAULO II. *Sommo Ponteſice in commendatione di S. Leone Papa.*

SE *la tua Santità* BEATISSIME PATRE PAULO II. VENETO PONTEFICE MAXIMO *pel paſſato m' ha ſopportato per adventura preſumptuoſo, che la mia imperitia alla tua ſomma pietà della tenuità mia habbi alquanto maggiori ſtudii conſecrato, e quelli per loro medeſimi obſcuri dal tuo maraviglioſo ſplendore ſieno illuſtrati, e da te ricevuti ſieno facti di gran prezzo; meritamente in queſti ſacri, e venerabili giorni della Quadrageſima quello excellente Ponteſice Leone I. di natione (come io ſtimo) Thoſcano, nel Calcedonenſe Concilio con ſomma admiratione da Padri tre volte Sancto giudicato, a te Ponteſice Maximo nel throno di tanta Cathedra degniſſimamente ſedente, offerire debbo non con grande difficultà ricognoſciuto, ma con ſomma utilità diligentemente lecto. Ne Sermoni del quale brievi, ma con ſommo artificio perfecti profondiſſimi myſterii*

Digitized by Google

ſterii di coſe divine, & ſecondo le Canoniche Scripture alcuno principato del ſacro eloquio ſi interchiude. Imperoche lui nella oratione temperato, ma nelle ſententie ſublime, e celeſte, & quello che innanzi a tutte l'altre coſe di admiratione degno, e profondiſſimo parimente, & ampliſſimo con pontificale majeſtà diſputante, & nello appoſtolico eloquio abbondante con modeſtia veramente chriſtiana, e virtù divina, viva tromba di Evangelio, & quale di electione un altro vaſo, di Sacramenti di caſta fede le chriſtane orecchie adempie: in forma che ſe le grande fatiche delle pontificali occupationi, o veramente e brievi ſpatii della invidioſa ſua età gli aveſſino conceſſo più coſe ſcrivere facilmente tutti e theſori della divinità ſopra la qualità ancora dello expoſitore harebbe manifeſtato. Coſtui è, o Padre Sancto, quello Leone, per ſoprannome grande, primo di degnità, di eloquentia a neſſuno cedente, molti avanzante di ſapientia, maeſtro di brevità, & quaſi ſolo artefice: el quale tanto nome di Sanctità dalle ſanctiſſime memorie degli Appoſtoli non mai partendoſi meritamente ſuperò: per lo exemplo del quale tu ancora e Sacratiſſimi pegni degli Appoſtoli ſempre abbracciando quelli per neſſun tempo dovere eſſere indrieto laſciati giudicaſti. Pel quale eſſendo ancora Diacono, e per lo ſtato del Pontificato dalla Città abſente, il Clero Regio, e Sancto della Chieſa Romana quaſi due meſi e ſancti Suffragii della electione del Sommo Pontefice ſoprattenne. El quale benche in tutta la vita ſia ſtato grandiſſimo, nientedimeno nella abbondantia della commiſeratione ſe medeſimo avanzò, & per la clarità del divino ingegno molti de' ſuoi Succeſſori in tanta admiratione l'hanno hauto, che lungo tempo continuata del vocabulo la ſucceſſione, Leoni per ordine habbino voluto eſſere nominati; da quali ancora della Città Leonina fu facta la celebre appellatione. Coſtui è quello Leone, el quale nelle excellentiſſime Stelle della Chieſa Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino (per non raccontare le ſimili majeſta de Greci Pontefici tutti grandiſſimi per degnità) al Mondo Chriſtiano mancanti, & in Cielo nel conſortio angelico naſcenti, come un Sole a illuſtrare il mondo per tutti fu ſufficientiſſimo; el quale la ſcelerata hereſia (come fulgore) hebbe in tremore, & degli Imperadori la majeſtà (come coſa divina) lo venerò, & tutta la fedele Chriſtianità (come padre) che dire non ſi potrebbe, l'ha obſervato. Queſto è Leone certamente dello orare Eccleſiaſtico Tullio, della Theologia Homero,

S delle

delle ragioni della fede Ariſtotele; & con una parola tutto abſolvendo nel Pontificale Throno Pietro, Paulo nel chriſtiano pulpito, coſì ſuave, & dolce, che tuti gli auditori tenga coſì admaeſtrante, che di divini ſenſi riempia, coſì exhortante, che d'ardori di virtù incenda: da eſſer letto, apparato, imitato. Di coſtui per ragione pontificale la propria oratione ſi può nominare, del quale da me più lui ſtupendo, che lodando queſto ſol detto voglio ſia ricevuto. Leone facilmente potere eſſere amato, ma ſecondo il merito non mai da potere eſſere predicato. Lui adunque ſia noſtro admaeſtratore in Terra, & in Cielo appreſſo allo omnipotente Idio interceſſore: il quale è ne Secoli benedetto: Amen.

Philippus Corſinus; hujus Epiſtolæ, & Sermonum S. Leonis Interpres, ex Florentinæ Reipublicæ Proceribus, quartus avus fuit Clementis XII. P. M. cujus obitus, qui ſex abhinc menſibus contigit, eo luctuoſior Eccleſiæ ceſſiſſe reputandus eſt, quo diutius noſtra hæc Comitia pro deligendo ei Succeſſore adlaborant, nec viam adhuc inveniunt tantæ jacturæ reſarciendæ. Nulla ejusdem mentio ſeu apud Verrinum Flor. Illuſtr. ſeu apud Nigrum Script. Florent. non ita vero apud Marſilium Ficinum, qui in Verſionis illius fronte Lectorem alloquens, Philippum Corſinum magnopere callandat, quemadmodum alibi fratrem ipſius Almericum, Platonicum Philoſophum.

S. THOMAS AQUINAS.

§. VIII.

Agmen Sanctorum Patrum, qui Romanis prælis in lucem editi tempora Pontificatus PAULI II. illuſtrarunt, Thomas Aquinas claudet, magno jure in eorundem numerum veniens, quippe qui (ut Sixti Senenſis Bibl. Sanct. l. 4. verbis utamur) *ſincerioris Theologiæ ſtudiis ita ſapientiſſimo Auguſtino proximus inceſſit, atque ita mentem ejus, &* omnes

omnes reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque ut juxta Pythagoræ μετεμψύχωσιν communi doctiſſimorum hominum adagio jactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam.

Sancti hujus Doctoris Catenam in quatuor Evangelia impreſſerunt Romæ anno 1470. Conradus, & Arnoldus, operam ſuam iisdem de more conferente Alerienſe Epiſcopo. Quæ omnia nos docent ad ſecundi Tomi calcem (duos enim ea Editio complectitur) verba iſta: *Joannes Andreas Epiſcopus Alerienſis recognovit. Impreſſum Romæ Opus in domo Petri, & Franciſci de Maximis juxta Campum Floræ, præſidentibus Magiſtris Conrado Sweinheim, & Arnoldo Pannartz, anno Dominici Natalis MCCCCLXX. die vij. Decembr. SS. D. N. D.* PAULI II. VENETI PONT. MAX. *anno VII. Urbe, & Eccleſia florente.* ad calcem autem prioris Voluminis extant verſus: *Aſpicis illuſtres &c.*

Annales Typographici allegant ejusdem S. Doctoris Secundam Secundæ an. 1467. Moguntiæ excuſam (*n*) cum hac nota: *Hoc Opus præclarum alma in Urbe Maguntina inclytæ Nationis Germanicæ, quam Dei clementia alti ingenii lumine, donoque gratuito cæteris terrarum nationibus præferre, illuſtrareque dignatus eſt, artificioſa quadam adinventione ſic effigiatum, & ad euſebiam Dei induſtrie ita eſt conſummatum per Petrum Schoiffer de Gernsheim. Anno Domini MCCCCLXVII. die vj. menſis Martii.* Memorat Editionem hanc, quemadmodum & præcedentem Catenæ Aureæ, Jacobus Echard T. I. Scriptor. Ord. Prædic. & quibus in Bibliothecis Pariſiis reperiantur ſignificat, ac præterea affirmat exſtare apud ſuos Rothomagenſes Secundam Secundæ absque anno, & loco in Typographiæ incunabulis cuſam. Aliud Thomæ Aquinatis Opus in Quart. Sentent. per Petrum Schoiffer de Gernsheim impreſſum

(*n*) Summæ Thomæ Aquinatis primæ Partis editionem vetuſtiſſimam, quæ hanc ſecundam Partem procul omni dubio anteceſſit, poſſidet Clar. CHRISTGAVIUS, & luculenter deſcribit in Commentatione hiſtorico-literaria de Mammotrecto, p. 25. ſq.

anno 1469. laudant iidem Annales, ex Biblioth. Norib. Sauberti a Bunemanno citatum, at una ſimul adnotant, eam, aliasque plurimas Editiones, quæ unico Catalogorum teſtimonio nituntur, non ita facile admittendas, ni prius eorundem loci examini ſubjiciantur. Hanc Editionem ipſemet inſpexi.

RODERICUS ZAMORENSIS.

§. IX.

Antequam a ſacris Scriptoribus, quos hucusque recenſuimus (eorum ſerie unico abrumpente Cicerone, idque ob vetuſtiſſimam Epiſtolarum ejus Familiarium Editionem) ad prophanos tranſitum faciamus, commemorandus venit Rodericus Zamorenſis, & Calaguritanus Epiſcopus. Speculum Vitæ humanæ ab eo compoſitum lucem vidit primum Romæ an. 1468. nuncupatumque fuit ab authore PAULO II. ad cujus calcem exſtat hoc Epigramma.

Edidit hoc lingua clariſſima norma Latina
Excelſi ingenii Vir Rodericus opus.
Qui Roma Angelica eſt cuſtos bene fidus in Arce,
Sub PAULI VENETI *nomine Pontificis.*
Claret in Italici Zamorenſis Epiſcopus auſis
Eloquii, it ſuperos gloria parta Viri.

Romanam aliam Editionem paucos poſt annos perfectam ad manus habeo, in qua legitur hæc nota: *Sedente Sixto IV. Pont. Max. impreſſus eſt hic liber Romæ in domo nobilis Viri Joannis Philippi de Lignamine Meſſanenſis, ejusdem S. D. N. familiaris, anno ejusdem ſecundo, ultima die menſis Julii.* Maittaire, qui priorem illam Editionem commemorat,

Digitized by Google

rat, perfectam utique a Conrado, & Arnoldo, ut probant verſus, qui ibi reperiuntur: *Hoc Conradus opus &c.* quin Catalogus ipſe librorum ab iis cuſorum Sixto Papæ exhibitus, alteram hanc ſilet, nullamque ejus mentionem facit Orlandus, licet ambo plures libros ab Joanne Philippo de Lignamine Romæ impreſſos diligenter recenſeant; parique ratione eandem omittit Nicolaus Antonius in Biblioth. Hiſp. Vet. T. II. quo loco agit de Roderico Zamorenſi, multaſque Speculi ab eo ſcripti Editiones laudat. Nuncupatoria Roderici ad PAULUM Epiſtola, quæ in pluribus Editionibus deſideratur, exſtat in Romana, quam dixi mihi in manibus eſſe. Ex ejus Epiſtolæ fronte illico innoteſcit, quod modo allati verſus etiam declararunt, Rodericum a PAULO conſtitutum fuiſſe Caſtellanum in Arce Romana Sancti Angeli, idque ipſum teſtantur ejusdem Roderici libri alii, qui in Vaticana Bibliotheca ſervantur, de quibus aliquid inferius dicemus. Hic tantum monemus, ibidem exſtare libellum ab ipſo Roderico compoſitum de Caſtellanis, & Cuſtodibus Arcium, & Caſtrorum, & de Ducibus Exercitus, Guillelmo Cardinali Oſtienſi, & Archiepiſcopo Rothomagenſi dicatum, de quo ita Rodericus: *In hac igitur excellentiſſima, atque munitiſſima, S. Angeli Arce de Urbe ego ipſe conſtitutus, ubi aliquid otii ſupereſt, decrevi paucula ex multis de Ducis officio, de Caſtellani cura, & eorum munere, qui Caſtra, Urbesque cuſtodiunt, qualesve eſſe debeant, brevi ſermone perſtringere.* Præter officium Caſtellani Rodericus alios honores a PAULI munificentia accepit; nimirum Zamorenſem primum Eccleſiam, deinde Calaguritanam, tandem Palentinam, cui propterea Tractatus, Epiſtolas, & Opuſcula complura dedicavit, profeſſus ſe ſub illius glorioſo, & æterno nomine potius quam ſtudio, & ingenio ſuo conquieſcere. Quibus verbis ſe PAULO obnoxium declarare in more haberet Rodericus, fidem faciet Epiſtola ipſa, quam modo recitamus. Prius tamen adnotamus, Speculum hoc minime confundendum eſſe cum Speculo Salutis, cujus Editio inter informia Typographiæ, infirmæ adhuc, & cunis vix dum exemtæ, tentamina refertur. De eo libro fuſe agunt Annales Typographici prior. edition. a pag. 13. usque ad pag. 23 T. I. viſumque a ſe ſcribit Maittaire, imo, quam diu libuit, verſatum, ex copia ſibi facta a Nobiliſſimo Pembrochiæ Comite. Curioſum Lectorem eo

 aman-

amandamus, quum nihil faciat ad præſtantes illas Editiones, quas Romæ PAULI II. temporibus eductas lucubratio hæc noſtra complectitur.

Ad Sanctiſſimum, & B. Patrem, & D. D. PAULUM II. P. M. *liber incipit dictus* Speculum vitæ humanæ, *quia in eo cuncti Mortales in quovis fuerint ſtatu, vel officio ſpirituali, aut temporali ſpeculabuntur cujuslibet artis, & vita proſpera, & adverſa, ac recta vivendi documenta, editus a Roderico Epiſcopo Zamorenſi, poſtea Calaguritano Hiſpano S. S. in Caſtro ſuo S. Angeli Caſtellano, & Referendario. Prologus.*

S*anctiſſimo, ac Clementiſſimo in Chriſto Patri Domino Domino* PAULO II. *Sacroſanctæ Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Summo Paſtori, & Pontifici Maximo, ejusdem S. obſequentiſſimus Servulus, & familiaris Rodericus Epiſcopus Zamorenſis, Hiſpanus, ac Caſtri ſui S. Angeli de Urbe fideliſſimus Caſtellanus, & Referendarius, ſeipſum cum utriusque hominis humillima inclinatione. Cogitanti mihi hanc munitiſſimam Romanæ tuæ Urbis, imo totius Orbis ampliſſimam Sancti Angeli Arcem Tuæ S. juſſu, tua auctoritate, & dignatione cuſtodienti, ubi aliquid ocii ſupereſt, quid dignum Tuæ S. in his tui feliciſſimi Pontificatus beatis initiis offerre valerem; video nil omnino mihi, cæterisque mortalibus ſupereſſe, quod aut ad laudem, aut ad commotionem pertinere poſſit. Tecum n. habes ea omnia virtutum ornamenta, quibus omnis laus recte comparatur. Tecum denique tanta inſidet ſapientia, quin potius a natura innata ingenii vis, tantaque prudentia, rerumque omnium experientia, ut nullis egeas exterioribus adjumentis. Verum ego gloriæ, & nominis Tuæ S. avidiſſimus, exiſtimavi paululum aliquid, utinam dignum, Tuæ S. offerre, in quo dum ingens occupationum ſarcina pauliſper Tuam S. reſpirare permiſerit, habeas in hoc opuſculo Tuæ S. dicato aliquas parvitatis intellectus mei ineptias, ut in eis recreationis gratia, non tam delecteris, quam tui acutiſſimi ingenii calamo, atque cenſura emendes, & corrigas. Dignum namque exiſtimavi, ut cujus corpuſculi mei membra tuis obtines obſequiis perpetuo devicta, ejus etiam ſi quæ ſunt animi vires poſſideas. Et dum exterioris hominis partes ſeſe ad tua devovent*

Digitized by Google

vent obſequia, debilis quoque, & rudis interior intellectus ad Tuæ S. gloriam non dormitet; quo fiet, ut eidem Tuæ B. ſerviat uterque meus, imo tuus homo. Venit igitur ſæpe in mentem, B. Pater, & Pontifex Maxime, quam varia, quamque diverſa ſunt cunctorum hominum ſtudia, variæ artes, varia officia, varia denique vivendi genera; adeout anxius, dubiusque ſit plerunque hominibus vitæ ſuæ modus, dubia in hoc ſæculo vivendi ſors, nec ſatis eligere poſſit, quod tandem vitæ ſtudium, quam vivendi formulam ſecurius aſſequantur. Cum enim humanus animus non modo bonum ſimpliciter, ſed, teſte Ariſtotele, ſummum bonum naturali conamine appetere videatur, nihil certe deeſſe videtur, niſi recte eligendi ratio. In ea igitur nonnunquam error contigit, illa potiſſimum ratione, quia cum juxta Philoſophi ſententiam, electio nonniſi de præcognitis exiſtat, pro eo quod nemo quæ ignorat eligit, ut ille in recte eligendo deficiat neceſſe eſt, qui diverſorum ſtatuum, vivendi generum dulcia, & amara, commoda, & incommoda non ſatis agnoſcit. Ut igitur noſcamus, quales a nobis artes, qualia ſtudia, qualiave converſandi, aut vivendi genera, dum in hoc fallaci ſæculo vagamur, & quo ordine diligenda, ſectandaque ſint; decrevi pro modulo ingenii, quid in ea re ſentio Tuæ S. dedicare, tuoque nomine conſecrare. Nec ab re quidem. Cum enim ad te unum omnis vitæ modus, omnis mortalium ſtatus, & humana converſatio, atque conditio, referatur, Tuque cunctorum mortalium ſis norma, moderatio, & ſpeculum, Tu denique cunctorum vivendi generum non ſolum diſtributor, ſed emendator exiſtas; recte Tibi uni hujusmodi opuſculum dirigendum, atque dicandum fuit; eritque ejus libri titulus, Speculum vitæ humanæ. *Nam veluti in materiali ſpeculo unusquisque, non modo ſua, ſed & aliorum intuetur aut pulchra, aut deformia, & quid commendandum, quidve emendandum ſit; ſic in hoc opuſculo tanquam in limpidiſſimo ſpeculo liquido conſpiciet dulcia, & amara, recta, aut deformia cujusvis ſtatus, & artis totius humanæ vitæ; quo fiet, ut apertiſſime agnoſcat quid in ſeipſo, ac vita & ſorte ſua, & demum cæterorum mortalium laudandum, ſequendum, ſive reprehendendum, & corrigendum ſit. Quemadmodum igitur, teſte Gelaſio Papa, duo ſunt vitæ genera, quibus Orbis principaliter regitur, & omnium mortalium converſatio pendet; aliud videlicet eorum, qui temporaliter, aliud illorum,*

rum, qui ſpiritualiter vivunt, ita duos ſub brevi compendio Tractatus attingam. In primo quidem de cunctis temporalibus ſtatibus, ſive ſæcularibus artibus, & vivendi formulis brevi agemus, incipientes a ſummo temporali culmine, videlicet Cæſarum, Regum, & Principum usque ad bubulcos, & infimæ vitæ homines; & in ea parte diverſos hominum vivendi modos in temporali ſtatu degentium, variaque artium, & occupationum ſæcularium genera, quibus homines ſeſe, ut plurimum conferre, aut implicari ſolent, brevi perſtringam. Et quid in eis animæ profectus, aut temporalis honoris, vel commodi, aut incommodi, laboris, vel periculi lateat, ſuccinctius, atque exquiſitius quam potero explicabo. Tandem de cunctis fere malis, ſuppliciis, pœnis mortalibus, ac damnis corporalibus, nec non de cæteris intrinſecis, & inviſibilibus ærumnis, ac mentis afflictionibus, quæ ab origine Mundi homines tam boni, & innocentes, quam mali, & peccatores magis excellentes, & nominati in omni ſtatu exiſtentes perpeſſi ſunt, & in dies mortales omnes patiuntur, & de cauſis eorum ad utramque partem breviſſime ſubjiciam. In ſecundo libro de ſpiritualis vitæ ſtatu, & vivendi genere ſermo erit, qui cum binarius ſit, quorum alter Eccleſiaſticus, alter Regularis, ſive Monaſticus exiſtat, de utriusque principiis, natura, & origine, authoritate, inſtitutione, & differentia, nec non neceſſitate, & utilitate, excellentia, & prærógativis, ſed &. de eorum aculeis, laboribus, & periculis agendum erit. Incipiendo a Summo Pontifice, qui omnium ſtatuum vertex eſt, atque totius vitæ humanæ exemplarè ſpeculum exiſtit. Deinde cæteros omnes Eccleſiæ ſtatus, & ordines particularius diſcutiam. Ut tandem diſcat humanus animus, etſi ubique ſit labor, & dolor, ubique ad virtutes; & vicia via ſit, cui potius vacare, & ſe accommodare debeat, ut tandem dulcorem ſimul, & amaritudinem cujusque ſtatus conſiderans, illam vivendi formam eligat, quæ & fragilitati, naturæque ſuæ potius conveniat, minusque periculi, ſed pluris habeat ad bene, beateque vivendum. In quibus quidquid a me diſſerendum erit Tuæ S. quæ fidei magiſtra eſt, correctioni, & emendationi remitto. Quam Altiſſimus diutine, & feliciter protegat, & conſervet.

Cata-

Digitized by Google

Catalogum aliorum Operum Roderici Zamorenſis diligenter affert, ex manuſcriptis Codicibus plerumque Vaticanis, Nicolaus Antonius Biblioth. Vet. Hiſp. T. II. affirmans ea parum exculto ſtylo, ut ipſe Rodericus quoque fatetur, & quandoque barbaro edita, ſed utique doctiſſima, & humaniorum diſciplinarum floribus ſæpius conſperſa. Sunt autem Theologica, & Juridica majori ex parte. Notiora ſunt Hiſtorica; nam juſſu Henrici IV. Regis Hiſtoriam Hiſpanam ſcripſit quatuor partibus, ab origine rerum ſcilicet usque ad ſua tempora, ut quod Rodericus Toletanus Epiſcopus (quod ipſe ait) Latinis literis usque ad ſuam ætatem perduxerat, Rodericus alter iisdem usque ad ſuam abſolveret. Adſunt in iisdem Codicibus Vaticanis Orationes ejusdem quamplures, quorum pariter Indicem texit idem Antonius, ac tandem concludit, manifeſtum reddi unum Rodericum fere omnes tam Joannis, quam Henrici regias vices Romæ, & alibi geſſiſſe, eundemque Theologi, Jurisconſulti, atque Oratoris, ſtatusque Miniſtri partes, eadem induſtria, & facilitate, ſummorumque quinque Pontificum Eugenii, Nicolai, Calliſti, Pii, atque PAULI, duorumque illorum Regum commendatione, plauſuque tractaſſe. Hujusque rei non poſtremum argumentum ſubdit, quod Pius II. Hiſtoriam a ſe ſcriptam, & aliqua Opuſcula præclare, ingentique elegantia exarata, eidem Roderico ſuo Referendario communicare dignatus fuerit, antequam edita forent, quod ipſe refert Hiſt. Hiſp. IV. Part. Cap. 40.

JULIUS CÆSAR.

§. X.

Quoniam in §. II. actum eſt de Cicerone, elenchum prophanorum Scriptorum, quos ſedente PAULO II. Romana præla ediderunt, ab Julii Cæſaris Commentariis inchoabimus, Ciceronis puritatem, & elegantiam ita æmulantibus, ut Quintilianus lib. 10. cap. 1. ita ſcripſerit:

rit: *C. Caſar ſi foro tantum vacaſſet, non alius ex noſtris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis eſt, id acumen, ea contentio, ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira ſermonis, cujus proprie ſtudioſus fuit, elegantia.*

Princeps horum Commentariorum Editio prodiit Romæ cum Epiſtola Joannis Andreæ Alerienſis MCCCCLXIX. XII. *Maji in domo Petri de Maximis.* Hanc memorant Annales Typographici, nec non Romanam alteram MCCCCLXXII. XXV. *Auguſti in domo Petri de Maximis.* Utramque inſpexi, eandemque utrique ineſſe deprehendi Alerienſis Epiſtolam mox recitandam; imo vero quum primo intuitu nullum mihi compareret inter utriusque paginas, & lineas diſcrimen, jam jam in eam ſententiam deſcendebam, qua in ſ. IV. binas paſſim putatas Hieronymianorum Operum Editiones ad unicam tantum redegi, duplici quidem annorum indicio notatam. At re accuratius, & minutius introſpecta, aliter poſtea viſum eſt. Ad quam tamen detegendam nullam mihi lucem attulerunt luculentæ Cæſaris Editiones, quas conſului, Jungermannia ſcilicet duplex, Arnoldi Montani cum Notis Varior. Joannis Godvvini in uſum Delphini, & Joannis Georgii Grævii, in quarum Præfationibus nullus de primis illis Editionibus ſermo, non ita vero in Cantabrigienſi Joannis Daviſii, & Londinenſi Samuelis Clarke. Græviana quidem non mediocriter commendatur ex Commentariis de Vita Cæſaris Julio Celſo paſſim tributis, quos a Viris doctis antea expetitos, & a Godvvino fruſtra in celeberrimis Bibliothecis requiſitos, Grævius ſuæ Cæſaris Editioni ſubjecit, idque ex unica, & rariſſima eorundem Editione anni 1473. En autem Epiſtola Alerienſis.

Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis Epiſtola.

Dictatoris Cæſaris Commentarios jam pridem multa diligentia me recognoviſſe memineram, quos cum a me impreſſores noſtri proximis ſuperioribus diebus efflagitarent, exemplaria illa penes me non eſſe excuſabam. Non potui tamen illis, ut differrent, perſuadere. Quocirca per

eos

eos morem iis geſturus, quicumque latinitati afficiuntur, etſi perfunctorie denuo illos recognovi, de quibus duo mihi dumtaxat breviſſime ſunt dicenda. Alterum tenere memoria omnes oportere, qui ad horum venerint lectionem, quæ Suetonius Tranquillus in Cæſaris Vita de iis ſcripſit, hoc modo: Reliquit & rerum ſuarum Commentarios, Gallici, Civilisque Belli Pompejani; nam Alexandrini, Africique, & Hiſpanienſis, incertus author eſt. Alii enim Opium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli noviſſimum, imperfectumque librum ſuppleverit; *ne in frontibus ſcilicet librorum indices aſcribantur emendandi. Equidem alia quædam a nonnullis ſcribi ſcio; & tamen ipſe Suetonio aſſentior. Ideoque ut eos, quos Cæſar ſcripſit, tum Ciceronis, tum plurimorum teſtimonio, eſſe fateor elegantiſſimos, ita Bellorum Civilium noviſſimum prioribus omnino imparem eſſe non diffiteor, adeo quidem, ut præter in eo pauciſſima, vel propter mendas, vel propter ſcriptoris infantiam, indignum pene judicem lectione. Hiſtoria in illo ſane comprehendi poteſt, reliqua, ut mea fert opinio, difficulter intelligi. Hoc unum e duobus fuit. Reliquum erat, ut Cæſaris potiſſimum exemplo maximis etiam in rebus gerendis viris occupatis, a legendo, ſcribendoque prorſus oſtenderem non debere avocari. Quis enim poteſt inveniri majoribus quam Cæſar curis implicitus? Quis a puero usque difficilioribus negotiis circumventus? Quis tamen æque ſtudioſus? ut neſcias, major ne imperio fuerit, an eruditione cumulatior. Certe nemo diffitebitur, eloquentiores eo ullos non fuiſſe, teſte Cicerone, in latinitate vero elegantiores, Priſciani quoque arbitratu, in Aſtrologia denique peritiores, Plinio ipſo ita prædicante, in imperio demum majores, omni mundo atteſtante, & Cæſaris ipſo nomine hæreditario Imperatoribus ſummis perdurante. Talem igitur, & tantum in negotiis, & in ocio virum, ut ego recognoſcendum, ita legendum omnes facile ſument, & pro virili imitandum.*

Quæ de incerto Auctore quorundam librorum, qui genuinis Cæſaris Commentariis copulantur, tradit Alerienſis ex Suetonio, fuſius explicat Voſſius de Hiſt. Lat. & poſt hunc alii plures, quos Lector conſulet. Hic vero potiſſimum adnotet velim verba illa Alerienſis, quibus Viri maximis etiam in rebus gerendis occupati Cæſaris potiſſi-

mum exemplo, monentur, ne ſe a legendo, ſcribendoque omnino ſemoveant.

TITUS LIVIUS.

§. XI.

Jo. Albertus Fabricius Bibl. Lat. lib. 1. cap. XI. agens de Tito Livio, antiquiores ejus Editionum notitias fatetur ſe magnam partem debere Viro de Livio immortaliter meritò Jo. Friderico Gronovio Prolegom. ad Livium. At imprudens ab eo diſſentit, dum Romanam omnium principem, curante Jo. Andrea Alerienſi Epiſcopo, *ex Codice præceptoris ſui Victorini Feltrenſis*, ad annum 1470. refert: nam Gronovius ei Editioni, cujus bina apud ſe exſtabant Exempla, nullum annum appoſitum reperiri diſerte affirmat, & ſolum conjicit, eam antevertiſſe annum 1471. quod hoc anno PAULUS, cui dicatur, mortalitatem expleverit. Convenit vero Fabricio cum Gronovio, dum Romanam alteram per Udalricum Gallum factam cura Joannis Antonii Campani refert ad annos 1471. & 1472. Hiſce enim eam exiiſſe, anno ſcilicet 1471. primam Decadem, tertiam & quartam anno 1472. fidem ſibi facere Regiæ, quæ Pariſiis eſt, Bibliothecæ Indicem, ſcribit Gronovius. Venetam per Vindelinum Spirenſem Livii Editionem accurate deſignat ipſe Fabricius; non ita tamen Gronovius, qui in errorem adductus a Franciſco Robortello in Convenientia Livianæ ſupputationis cum marmoribus Capitolinis, & in Emendationibus, eandem cum Romana confundit, additque de ſuo, ſe putare, Vindelinum eum eſſe, *qui ſe Sweinheimum in calce Voluminis appellat, ut ſolent Itali Germanica vocabula invertere.*

Prin-

Princeps illa Romana Editio, quam ad manus habeo, anni nota, ut Gronovius tradit, deſtituitur. Prodiiſſe ipſam conjicit Maittaire an. 1469. quod Editio, quæ a Vindelino an. 1470. prodiit, eandem, quam illa, habeat Epiſcopi Alerienſis Epiſtolam; *Oportet itaque* (ait Maittaire) *huic illam anteceſſiſſe. Cumque illa Romæ, hæc Venetiis excuſa fuerit, haud facile credam, utramque eodem anno exiiſſe.* Idem Maittaire memorat quoque Romanam alteram per Udalricum Gallum (ſed inter illas, in quibus anni indicium deſideratur) quin partem Epiſtolæ recitat Campani Editoris ad Jacobum Cardinalem Papienſem, cujus juſſu Campanus tres Livii Decades, librariorum inſcitia magna ex parte depravatas, receperat emendandas. Quod anni nota in utraque ea Romana Editione ſileatur, juſta videretur dubitandi ratio, num Campani hæc, an Alerienſis illa præceſſerit. Aequum reputavimus Alerienſi palmam relinquere, quam ei Gronovius, Fabricius, & Maittaire tribuerunt, quibusque adſtipulari cenſendus eſt Vindelinus, quippe qui Venetæ ſuæ Editioni non quidem Campani, ſed Alerienſis Epiſtolam præfixit. Hoc loco minime diſſimulandum puto, in dubium etiam ab aliquibus vocari, utrumne Udalricus, an Conradus, & Arnoldus Romæ Typographicen primi exercuerint. Poſtremis aperte favet Alerienſis teſtimonium in Epiſtola præfixa v. Tomo Gloſs. Nicol. de Lyra. Haud magna tamen contentione decertandum recte monet Maittaire, ſi quis hos, & illum cum conterraneos, tum contemporarios affirmaverit, ſed admiratione maxima dignos videri ſub ipſis literarum renaſcentium primordiis impigros, mutuosque illorum Typographorum conatus, qui ſtudiorum contentione, & quaſi æmulatione erecti in procurandis principum Authorum Editionibus, qua fieri poterat, diligentia deſudando, ſecum invicem veluti luctabantur, præſertim Romæ, & Venetiis, ut abunde patet ex ſingulis fere hujus Appendicis Articulis.

Venio nunc ad Alerienſis Epiſtolam, in qua ad Veneti nominis gloriam magnopere faciunt plura, quæ in ea afferuntur, ſcilicet de florentiſſimis ingeniis, quæ Romam ex Venetia acceſſerunt, ex quibus Virgilium, Plinium, & Livium nominat Alerienſis, nec non de ſubſidiis a PAULO Pontifice, ejusque conſanguineo Marco Cardinali Barbo, Typographicæ Arti mirum in modum juvandæ munifice collatis, ac deni-

Digitized by Google

mum exemplo, monentur, ne ſe a legendo, ſcribendoque omnino ſemoveant.

TITUS LIVIUS.

§. XI.

Jo. Albertus Fabricius Bibl. Lat. lib. 1. cap. XI. agens de Tito Livio, antiquiores ejus Editionum notitias fatetur ſe magnam partem debere Viro de Livio immortaliter meritò Jo. Friderico Gronovio Prolegom. ad Livium. At imprudens ab eo diſſentit, dum Romanam omnium principem, curante Jo. Andrea Alerienſi Epiſcopo, *ex Codice præceptoris ſui Victorini Feltrenſis*, ad annum 1470. refert: nam Gronovius ei Editioni, cujus bina apud ſe exſtabant Exempla, nullum annum appoſitum reperiri diſerte affirmat, & ſolum conjicit, eam antevertiſſe annum 1471. quod hoc anno PAULUS, cui dicatur, mortalitatem expleverit. Convenit vero Fabricio cum Gronovio, dum Romanam alteram per Udalricum Gallum factam cura Joannis Antonii Campani refert ad annos 1471. & 1472. Hiſce enim eam exiiſſe, anno ſcilicet 1471. primam Decadem, tertiam & quartam anno 1472. fidem ſibi facere Regiæ, quæ Pariſiis eſt, Bibliothecæ Indicem, ſcribit Gronovius. Venetam per Vindelinum Spirenſem Livii Editionem accurate deſignat ipſe Fabricius; non ita tamen Gronovius, qui in errorem adductus a Franciſco Robortello in Convenientia Livianæ ſupputationis cum marmoribus Capitolinis, & in Emendationibus, eandem cum Romana confundit, additque de ſuo, ſe putare, Vindelinum eum eſſe, *qui ſe Sweinheimum in calce Voluminis appellat*, *ut ſolent Itali Germanica vocabula invertere*.

Prin-

Digitized by Google

Princeps illa Romana Editio, quam ad manus habeo, anni nota, ut Gronovius tradit, deſtituitur. Prodiiſſe ipſam conjicit Maittaire an. 1469. quod Editio, quæ a Vindelino an. 1470. prodiit, eandem, quam illa, habeat Epiſcopi Alerienſis Epiſtolam; *Oportet itaque* (ait Maittaire) *huic illam anteceſſiſſe. Cumque illa Romæ, hæc Venetiis excuſa fuerit, haud facile credam, utramque eodem anno exiiſſe.* Idem Maittaire memorat quoque Romanam alteram per Udalricum Gallum (ſed inter illas, in quibus anni indicium deſideratur) quin partem Epiſtolæ recitat Campani Editoris ad Jacobum Cardinalem Papienſem, cujus juſſu Campanus tres Livii Decades, librariorum inſcitia magna ex parte depravatas, receperat emendandas. Quod anni nota in utraque ea Romana Editione ſileatur, juſta videretur dubitandi ratio, num Campani hæc, an Alerienſis illa præceſſerit. Aequum reputavimus Alerienſi palmam relinquere, quam ei Gronovius, Fabricius, & Maittaire tribuerunt, quibusque adſtipulari cenſendus eſt Vindelinus, quippe qui Venetæ ſuæ Editioni non quidem Campani, ſed Alerienſis Epiſtolam præfixit. Hoc loco minime diſſimulandum puto, in dubium etiam ab aliquibus vocari, utrumne Udalricus, an Conradus, & Arnoldus Romæ Typographicen primi exercuerint. Poſtremis aperte favet Alerienſis teſtimonium in Epiſtola præfixa v. Tomo Gloſs. Nicol. de Lyra. Haud magna tamen contentione decertandum recte monet Maittaire, ſi quis hos, & illum cum conterraneos, tum contemporarios affirmaverit, ſed admiratione maxima dignos videri ſub ipſis literarum renaſcentium primordiis impigros, mutuosque illorum Typographorum conatus, qui ſtudiorum contentione, & quaſi æmulatione erecti in procurandis principum Authorum Editionibus, qua fieri poterat, diligentia deſudando, ſecum invicem veluti luctabantur, præſertim Romæ, & Venetiis, ut abunde patet ex ſingulis fere hujus Appendicis Articulis.

Venio nunc ad Alerienſis Epiſtolam, in qua ad Veneti nominis gloriam magnopere faciunt plura, quæ in ea afferuntur, ſcilicet de florentiſſimis ingeniis, quæ Romam ex Venetia acceſſerunt, ex quibus Virgilium, Plinium, & Livium nominat Alerienſis, nec non de ſubſidiis a PAULO Pontifice, ejusque conſanguineo Marco Cardinali Barbo, Typographicæ Arti mirum in modum juvandæ munifice collatis, ac deni-

Digitized by Google

que de inſigni Victorini Feltrenſis Schola, quam Patavii, & Venetiis magna etiam cum integritatis fama aperuit, Mantuam poſtea ab Joanne Franciſco Marchione pertractus, ſuiſque liberis datus præceptor, ubi Alerienſis ipſe ſe illo uſum parente, & magiſtro affirmat his verbis: *Iſtic ego ſum uſus parente, & magiſtro, iſtic Livii partem prælegentem audivi. Quod ideo non fuit ſilentio prætereundum, ut, ſi quid in recognitione profeci, auctori acceptum Victorino referatur.* Huic præterea palmam dat Alerienſis, quod *Livium primus, ut intactum pelagus, atque inexpertum, noſter Tiphis aperuit, & Patavinos theſauros Heſperidum hortis cluſiores patefecit;* nam quod tempeſtate ſua in Liviana Hiſtoria lucubraſſe ferebatur Franciſcus Petrarcha, hujuſcemodi erat, ut vere de eo dici poſſet cum Pacuvio, *ſibi profecit, & muſis.* De Petrarchæ in Livium lucubrationibus altum ſilentium apud Gronovium, & alios, quod ego quidem ſciam. Gronovius, & alii Romanam Editionem ex Victorini Codice deductam ſcribunt ab Alerienſi. At quo fundamento mihi incompertum; nam Alerienſis in Epiſtola ne verbulo quidem deſignat Victorini Codicem, ſed ejus in Livium Prælectiones memorat, atque commendat.

Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis Epiſtola ad PAULUM II. VENETUM PONT. MAX. & *Marcum Cardinalem S. Marci.*

F*auſto, ac felici ſolo tuam Urbem,* PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONT. MAX. *ac fortunatis originibus poſitam a primis illius fundatoribus, cum ſequuta Imperii magnitudo teſtatur, tum in primis illud, quod aut eodem in loco maxima, innumeraque excellentium hominum ſunt exorta ingenia, aut undequaque oriunda, natalis dulcedinem patriæ Roma felici migratu commutarunt, fortunæ majoris vicem, ac munus Romana ſibi mœnia fore arbitrati. Romam enim ex iis plurimi, poſt diffuſum late Imperium, qui in diverſis terrarum partibus nati ſunt, miro ſtudio, veluti in primum, & maximum orbis theatrum convolarunt. Cujus rei hodie quoque ſpeciem ampliſſimam cernimus, cum ex tot clariſſimis regionibus, in tua felici Curia tantæ majeſtatis Patres intue-*

intuemur, ut merito haud ita Imperii jure (etſi id quoque permagnum eſt) ut fidei, & Religionis gratia ſacroſancta, quæ eſt ſplendidor, & juſtior in terris principatus, ab exordio ad tantam rerum molem tua Urbs eſſe præparata noſcatur. Crevit ab exiguis quidem initiis, PATER SANCTE, *Urbs tua, ingeniis quoque, ac ſcriptis clarorum hominum, variarumque linguarum vocibus celebrata, quæ tanquam ad ſpeciem ſui oculos luminis fulgor, ac ſplendor rapit; ita quicquid magna nixum virtute, & claræ indolis ſibi conſcium, omni in genere mortalium fuit, claritudine, ac nitore ad ſeſe propriæ majeſtatis allexit, ut breviſſime, veriſſimeque Poeta magnus cecinerit.*

Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septem quæ una ſibi muro circumdedit arces.

Verum ſicuti nihil æque difficile eſt, atque quibus ex orbis terræ partibus præſtantioris ingenii Romana felicitas, nominis tanti magnitudine, viros ad ſe ornandam traxerit; ita conſtanti doctorum conſenſu, ex tua Venetia liquet, florentiſſima quidem, & virorum ſummorum uberrima, ingenii quoſdam, & doctrinarum primarum cultu facile principes, Romam acceſſiſſe. Quis eſt enim Virgilio, ſuo in genere (ut ab eo incipiamus) major? Quis Plinio doctior? quis Livio candidior, & uberior? Hos certe elegantiſſimos, & maximos miſit Venetia; quorum reliquis de eorum laudibus loco alio ſervatur oratio. Patavino noſtro Veneto ampliſſimum Divus Hieronymus teſtimonium reddidit. In quo certe illud fuit (quod præterea fortaſſe datum eſt nemini) ut ſeipſam facilius in monumento, ære perenniore, quam vel in immenſis ædificiorum molibus, vel in legum venerandis ſanctionibus Imperii tanti viribus, atque magnitudine nudam, & ſeriam, non absque ſumma dignitate, majeſtate, amplitudine, gratia, & (quod eſt his magis omnibus) æternitate orientem ſimul, coaleſcentemque, ad faſtigium usque provectam, ibique placidiſſime generi humano dominantem, Romæ licuerit intueri. Tibi igitur Pontifici Max. Hiſtoricorum primum, & maximi Imperii ornatorem, ac per te cultiſſimo tuo, ac modeſtiſſimo Marco Sancti Marci Cardinali, Epiſcopo Vicentino, quam fieri potuit, diligentiſſime recognitum (ſi quid unquam alias) hoc

Digitized by Google

hoc tempore potiſſimum deſtinavi. Morem meum, tua venia, in præſenti etiam Epiſtola ſervans, ut animi gratia paulo uberius ſcribam, quam fortaſſe Epiſtola poſtularet. Ille vero dictionis bujus erit modus. Laudationem primum delibabo Livianam: rem mibi in primis arduam vires proprias æſtimanti. Quis enim tam eleganti fretum ſe putarit ingenio, quis ea doctrinæ copia, quis tanta erit eloquentia, vel arte politus, vel naturæ præditus, vel imitatione formatus, vel ſtudio præparatus, ut ornatorem audeat amplitudinis Romani Imperii Livium, non inepte, non jejune, non minus Authoris merito prædicare? Quod eſt tamen ideo tentandum in præſentia, ne laudati Romani nominis gravis prædicator, exilem, ac modicum, ſaltem in Operis ſui Principio, non babeat præconem. Conabimur illud igitur, oſtendemusque deinceps, quo praeunte noſtris potiſſimum diebus auſi ſimus Livium attrectare, illius auctoris admiratione ſuccenſi, noſtro tamen Marte impotentes ad magnificæ dictionis ejus intelligentiam aſpirare. Quod ego denique bac illuſtri lectione me plurimum delecter collegiſſe, ita labor mibi lectionis levabitur, & quibus maxima debeo, parva opera ſatisfaciam. Sed id primum confiteor, non magis opinione mea Livianæ dignitatis attingi laudem poſſe, quam triumpbantis Romæ ſplendorem cerni, quæ Oceano Imperium, aſtris famam terminavit. Satis ne commendabit Livium quisquam, qui maxime omnium inter Hiſtoricos cenſetur flumine labi perpetuo eloquentiæ, tanta urbanitate, nitore, ac gloria, ut Romano Imperio par, illius decus dicendo coæquaverit? Neque enim Urbs præpotens tot annorum, tantarum nationum dominatu præſtantius armis bellavit, togave pacis tradidit morem, non ſublimius inquam victor nationum Populus, & eorum, quos vicit, illuſtris moderator, aut generoſior in rebus gerendis, aut in gubernando juſtior fuit, quam noſter Hiſtoricus domitoris nationum Populi facta, dictaque in utriusque ſorte fortunæ æquabili retulit dictione. Talis quidem, ac tantus ſui ſingulis, atque omnibus Operis partibus, quales & quanti viri ii fuere, & ſinguli & univerſi, quorum manibus, ac conſiliis illa ſunt geſta. Herculem enim merito Hiſtoriarum dixerim, qui alacris ubique incedens, robuſtus, & floridus, nulla rerum difficultate, nullo obrutus pondere ſuperatur. Non illum varietas confuſum, non ſimplicitas biſtoriæ faſtidientem reddit. In tenui (quod perſæpe accidit) atque bumili rerum materia, non eſt exanguis, aridus,

dus, & jejunus. In copia vero, ac magnitudine, turgeſcens non exit, ac vaſtus, plenus citra tumorem, æquabilis, ac lenis citra molliciem. Nec luxurioſe effluens, nec nimia ſterilitate tabeſcens. In aſperis rebus non ſalebroſus, neque languens in mollibus, non violenta, & coacta oratione ſubſultans. Non ita tamen copioſus, ut nimius, neque ita ſuavis, ut laſcivus, nec adeo lenis, ut remiſſus, non ſic triſtis, ut horridus, neque ita ſimplex, ut nudus, aut adeo comptus, ut affectata compoſitione calamiſtris videatur inuſtus. Par verbis materiæ, par ſententiis rebus, in re geſta exprimenda gravis, atque magnificus, & tamen ſuccinctus, ac proprius, in narratione naturalis, & ſemper expectatus ordinem minime confundens, & rerum eventa non præcurrens. Minime in gratiam adulator, aut reprehendendo parcus in veniam, non amaram lætus in noxam. Ipſi quoque Senatui, Ordini illi orbis terræ moderatori venerando, Populoque Romano terrarum principi, ſi vel temeritate præcipites, vel errore lapſi, vel quacumque forent ratione ſupra modum, juſtumque evecti, nequaquam parcens. Res etiam adverſariorum debita commendatione non defraudans, ut modo narrator tantum, modo cenſor eſſe videatur, atque ita ſeverus, & tetricus, ut ne cenſoribus quidem graviſſimis, quibus nihil Romæ ſanctius fuit, ubi facto uſus fuit, unquam ignoverit. Quibus quidem virtutibus ſummis, clariſſimisque Scriptoribus comparatur, ſicuti in ſententiarum ubique, præcipue tamen in conſiliis, & diſceptationibus, majeſtate. At vero in Concionibus ante omnia, verborum parcus, ſententiarum dives, multo eſt verbis, quam ſenſu reſtrictior, atque conciſior. In qua parte non cæteros Scriptores tantum, ſed ſeipſum quoque longe antecellit, ut aliquanto anguſtius diſſerens ſermone humano ad oraculorum pene reſponſa accedere judicetur. Quæ res ſi ſunt ulla arte acquiſitæ, cur nemini unquam diſcipulo æmulandæ tradi potuere? cur a quo ſint præceptore ſumtæ, non diſſeritur? ſin, ut potius reor, naturæ fuerunt excellentis, Viro unico illi, & ſingulari magis cœlitus perbibitæ, quam humanitus vel traditæ vel meditatæ ſunt cenſendæ, ut majeſtas illa æternæ rationis, ſimul ac Romanum potentatum decrevit, tantopere ſupra omnia Imperia eminere, continuo quoque ejuſcemodi Scriptorem ejus decerneret, qui dictionis gloria par Romano potentatui, æqualem in omnibus ſibi Hiſtoricum neminem unquam foret habiturus. Nam nemo plenius aures hominum im-

plet, vividius animos penetrat, excitatque facilius affectiones, nemo acrius proponit, vehementius perſuadet, aſperius irritat, urget impenſius. Nemo diſſolvit aptius, ſedat facilius, velocius diſſuadet. Cumque in delectando ſit ſummus, in amplificando ditiſſimus, exemplis in primis copioſus, ſtimulos præcipue habet utramvis in partem accommodatiſſimos, aculeosque acerrimos, & tormentis verba ſimillima, ut quocunque intenderit, humanos illuc ſenſus, affectionesque, vel torrentis rapiat modo, vel turbinis more proſternat, vel roris vice refrigeret, blandique malagmatis ad omnem mollitudinem reſtinguat exemplo. Extollant Timotheum alii, alii Orpheum prædicent, illum fidibus, & cantu armatorum rabiem, iſtum dirarum horrificos tumultus leniiſſe. Illorum profecto artes perdiſcere nemo eſt vetitus, hujus ne ediſcerentur Conciones edicto eſt Principum interdictum; quoniam tantus nullo quiſquam fuerit tempore, in flectendorum quovis animorum, vel artificio, vel gratia, vel natura. Quid multis immoror? non materie magis Livii decades felicitate cenſendæ ſunt, quam ipſe Romanorum inde feliciſſimus potentatus, quod Livium illi contigit habere præconem. Hujus ſit orationis ſumma, hic cardo, veluti ſolum Romanum Imperium denuo refloreſcens, aut nulla mundi potentia Romam redivivam, ex ſuis buſtis, ac ingentium molium parietinis, quæ ſparſa, lacera, & trunca conſpicimus, excitabit, reſtaurabitque, omnino pari modo aut Livius, ſi reſtituatur ab Inferis, aut mortalium, qui ſunt, quique erunt, nemo exſtinctas ſuæ Hiſtoriæ partes renovabit, aut ſimiles cudet. Quod ſi cuipiam dicere nimis videor, ea Hiſtoriarum membra in manibus ſumat, quæ noſter Livius ſemel abſolverat. Nam hodie quoque ex Græcorum theſauris ſuperſtes ad nos pervenit hiſtoria, & vel ex Polybio, magno quidem illo, & gravi Scriptore primum Punicum bellum, a Fabii retro Gurgitis, & Collegæ inchoans, quando ibi deſiit Livius, Conſulatu, vel ex Appiano Alexandrino, vel Authorum alio bella Civilia, Socialiave, aut cætera Romanarum rerum membra complectatur. At ſunt viri clari, & nobiles, qui hæc cum laude vertunt in latinum. Non equidem inficias eo, verum ea non ſunt talia, ut cum Livianis ſcriptis conferantur. Hactenus pauca de Livio. Ad primi ævo noſtro prælectoris ejus memoriam propero, nec tacebo Franciſcum Petrarcham (quod fando accepi) modeſtiſſimum illum quidem, & amœni cultus, atque ingenii

nii virum, non mediocriter tempeſtate ſua, in Liviana Hiſtoria vigilaſſe; ſed ille (ut dicam cum Pacuvio) ſibi profecit, & muſis. Illud veriſſime referre me puto, primum omnium ætate noſtra Victorinum Feltrenſem, lectionem publice audientibus præiſſe Livianam, ingenti hominum admiratione, & fama. Quo Viro quoniam mihi Chriſtus Dominus dedit, ut altore ſim uſus, atque præceptore, veniam præfatus peto, ut mercedis loco pauca de illius moribus Te audiente perſtringam. Victorinus Feltrenſis, ævi noſtri Socrates, ſæculi ſui ornator, ac decus, fama, & gloria Academiæ Mantuanæ, vivens ille quidem, vitæ conſtantia venerabilis, legens admirabilis, abſens quæſitus, mortuus admodum deſideratus, hoſpes ille, quinimmo pater pauperum ſtudioſorum, humanitatis ſuſcitator, latinitatis erector, ſapientiæ magiſter, honeſtatis ſpecimen, bonitatis exemplum, divitiarum contemptor, ingeniorum ſublevator, & alia pleraque, & Livium primus, ut intactum pelagus, atque inexpertum noſter Tiphus aperuit, & Patavinos theſauros Heſperidum hortis clauſiores patefecit. Ille quidem in Italiæ natus Veneto angulo, Patavii partim, partim Venetiis, ingenti gratia, & fama, & (quod eſt in docentibus laudatiſſimum) magna docuit cum integritate, ubi cum auditorum liberalitatibus grandem poſſet pecuniam facere, ita divitum ſcholaſticorum dona capiebat (neque enim vir ille quæſtu docebat mercenario) ut Proculi illius Socratici præceptoris more, atque inſtituto, daturus aliquid, aliquid ſumeret, ut dividenda haberet in pauperes ſtudioſos. Tantum enim aberat, ut fundis delectaretur, ac peculio, ut ſingularibus annorum omnium contentus veſtimentis æſtatis, atque hyemis, quotannis in egentiores, quos domi alebat, & docebat, bina ſua divideret ſuis manibus indumenta. Harum fama virtutum Jo. Franciſcum Marchionem illum inclytum Mantuanum, Cardinalis Illuſtris, ac liberaliſſimi Mantuani avum, ad illum Mantuam trahendum incendit, quo cum plurimo honore, & donis tandem veniſſet, Principis liberis datus eſt præceptor. Iſtic ego ſum illo uſus parente, & magiſtro, iſtic Livii Decadum partem prælegentem audivi. Quod ideo non fuit ſilentio prætereundum, ut ſi quid in recognitione profeci, auctori acceptum Victorino referatur. Tantum enim abeſt ut me pœniteat præceptorum meorum gloriæ, ut id unum, ac maximum docti animi, atque ingenui argumentum cenſeam, a quibus ipſe hauſerim omnia fontibus referre

Digitized by Google

magiſtrorum. Qui plura voluerit diſcere de Victorino (ſunt enim ejus omnis ſplendoris, ac dignitatis plenæ actiones) Saxoli Pratenſis inter condiſcipulos noſtros minime contemnendi, quamquam admodum juvenis ille fato conceſſerit, librum legat de vita, & moribus Victorini, aut cæterorum, quibus laudi magna eſt non mores, & vitam ſolum, verum etiam totam Victorini Scholam perſcripſiſſe. Quorum ſcriptis potueram equidem eſſe contentus, niſi in eadem cultus officina, obtuſiore licet ſcalpro, mihi viſus in præſenti Epiſtola forem, non abſque ingratitudinis crimine potuiſſe diſſimulare, ac præterire Victorinum.

Venio ad Te, Pater Colendiſſime, cui, ut ipſe noſti, maxima debeo, atque ut cæteri ſe in hac quoque haud exigua humanitatis parte tibi debere ſciant, cogor oſtendere. Tua enim opera, ſubſidioque, ac liberalitate Impreſſorum noſtrorum ars juvatur, & creſcit, unde mirum in modum egenorum neceſſitatibus ſubvenitur, cum doctiſſimus ipſe, ac minime invidus libros excellentes omnis generis habens facultatum, nobis volens, & expoſitus Bibliothecam tuam ſemper aperias. Tu vero (ut revertar ad Livium) modeſtiſſime Vir, atque ſapientiſſime, in noſtro teipſum Codice, hoc eſt incredibiles animi tui verecundi inprimis virtutes, ut ſæpiſſime antea, percenſens nunc quoque, non ſine ratione delectabere. Gravis enim morum tuorum cenſura, quo ſanctius monumento cognoſci, quo exemplo reddi verius poteſt? etſi præcipua pars tui, virtus vere Chriſtiana, quaſi manus optimi pictoris extrema (quod conſtanter fateor) omnis gentilitatis ornamento in te ſuperlinenda reſtabat. Recognoſcis tu quidem in Livio laudes tuas, cum illuſtrium Virorum verba, & actiones legis. In alio religionis cultum, in alio animi magnitudinem, in alio vitæ omnis tenorem æqualem, & jugem, hic tuam maximam modeſtiam (quæ perraro in alto dignitatis, & ſtatus faſtigio poſitorum eſt comes) refert, hic tuarum in Republica ſententiarum modum, hic in caſtigandis moribus multæ lenitatis gravitatem. Mihi quidem hæc proxime legenti Tu jugiter eras in mente. Actionum tuarum imaginem in graviſſimis, & compoſitiſſimis viris de propinquo cernebam. In Q. Fabio Maximo, placidum, ac cunctabundum tuum ingenium admirabar. In Furio Camillo, maximi animi vigorem, gravitatem, atque in omni fortuna conſtantiam. In Appiis,

miram

Digitized by Google

miram ſcientiam, atque facundiam. In Scipione, dexteritatem, alacritatemque animi, & minime inanes cogitationes ardua, & magna negotia capeſſendi. In T. Quintio, providentis, ac mirifice caſti pectoris tui monita ſalutaria. In Papyrio celeritatem, atque indefeſſum ad res gerendas robur. In Valeriis, popularitatem placidam, modeſtamque, ac nequaquam effluentem obſequelam. Fidem vero in omnibus maximam, paremque prudentiam. Addebam religionem, & a Gentilibus longiſſime abſcedens, eam quidem Chriſtianam, atque Catholicam. Unum apud Livium reperiebam, cui, ut maximo quamquam ſimillimus es, omni tamen a parte non es idem. Cato ille Cenſorius, vir conſummatus, & ſummus, in quo velut in Te hodie, hoc maximum quondam decus virtutis fuit, ut quicquid ille ageret, natus ad id tantum eſſe videretur, Cato ille, inquam, tantus vir, amaro fuiſſe fertur ingenio, atque ad lacerandum ſemper expoſito. Cætera ejus in Te cognoſcimus; naturæ vero amaritudinem, & carpendi ingenium non videmus. Quin imo, ſi quiſquam eſt, Tu es maxime detractorum adverſarius, quippe qui es ad benemerendum de omnibus hominibus natus, atque S. D. N. inſtitutis eruditus. Tibi igitur tali Viro, ac tanto præſtet gratiarum dator Chriſtus Dominus, ut aſſidue magis pacem, ac gloriam Sacroſanctæ Eccleſiæ videas, Chriſtiani populi de Paganorum feritate, & Hæreticorum obſtinata pravitate victoriam, Summi noſtri Pontificis ſoſpitatem, omnium terræ fructuum copiam, Cœli temperiem, & aeris ſalubritatem, & veluti in Sanctiſſimo Dominici gregis, feliciſſimoque Paſtore, tua ſtudia, ſpemque omnem a nativitate collocaſti, ita tuarum quoque actionum ſucceſſu fortunato ille aſſidue magis in te quieturus recumbat. Ut cum ſummus Deus ſuo in terris Vicario cuncta mentis tranquillæ optata tribuat, Tibi ille rerum maximarum adminiſtrationem ſecundet. Tu nobis apud illum omnia impetres, quibus aliquando cum dignitate vitæ præſentis neceſſitates per ſtudia honeſta, honoratasque actiones tranſeamus. Vale.

Liber Saxoli Pratenſis, ad quem eos Alerienſis amandat, qui de Victorini Feltrenſis doctrina, & moribus plura diſcere cuperent, editus reperitur Tom. III. Ampliſſ. Collect. Veter. Script. & Monum. Pariſ. anno 1724. at dum ejus Collectionis Auctores in Præfatione ad

illum Tomum affirmant, quamvis celebrentur ubique Victorini merita in Remp. literariam, vix quenquam, uno forte excepto Ambroſio Camaldulenſi, virtutes ejus vel paucis prædicaſſe, inde dignoſcitur iisdem minime compertam fuiſſe recitatam modo Alerienſis Epiſtolam, quæ Victorini laudes abunde refert, easque ab aliis etiam, præter Saxolum Pratenſem, luculenter deſcriptas teſtatur his verbis; *Qui plura voluerit diſcere de Victorino (ſunt enim ejus omnis ſplendoris, ac dignitatis plena actiones) Saxoli Pratenſis inter condiſcipulos noſtros minime contemnendi, quamquam admodum juvenis ille fato conceſſerit, librum legat de vita, & moribus Victorini, aut cæterorum, quibus laudi magna eſt non mores, & vitam ſolum, verum etiam totam Victorini Scholam perſcripſiſſe, quorum ſcriptis potueram equidem eſſe contentus, niſi in eadem cultus officina, obtuſiore licet ſcalpro, mihi viſus in præſenti Epiſtola forem, non abſque ingratitudinis crimine potuiſſe diſſimulare, ac præterire Victorinum.* De hoc ipſo Victorino (o) haud raram dicendi occaſionem nactus ſum & ipſe, tam in libro de Brixian. literat. renaſcent. literar. ætate, quam in Diatriba Præliminari ad Franciſci Barbari Epiſtolas

(o) Valde honorificum eſt VICTORINO, quod Græcos doctiſſimos Theodorum GAZAM & Gregorium TRAPEZUNTIUM Latinam linguam docuerit. De illo enim Chriſtianus Frider. BOERNERUS in eleganti libro de doctis hominibus Græcis literarum Græcarum in Italia inſtauratoribus p. 122. hæc commemorat: In Italiam ubi GAZA pervenit, & exquiſita Latine loquendi ſcientia, ad excitan„dum Græcarum litterarum decus, valde ſibi opus eſſe vidit, proti„nus ad VICTORINUM FELTRENSEM acceſſit, a quo eruditus, „brevi poſt ea ſermonis Latini excelluit peritia, ut, ſiue Græca „Latine, ſiue Latina Græce redderet, omnes eum admirarentur. TRAPEZUNTIUM vero in dicata Victorino Ciceronis pro Q. Ligario orationis expoſitione ſe ipſius alumnum vocaſſe idem p. 106. teſtatur. Conf. Cardinalis noſtri Diatribam præliminarem ad Franc. BARBARI Epiſtolas, p. LXXVII. Paulus CORTESIUS in Dialogo de hominibus doctis eum toti Galliæ Transpadanæ præcepta dicendi tradidiſſe ſcribit. Inter PHILELPHI epiſtolas extant quædam ad eum datæ.

Digitized by Google

las propediem publicandas. Saxoli vero Pratenſis (*p*), cujus vix ullam reſtare memoriam in eadem Præfatione affirmatur, non ſolum meminit

(*p*) Inter Epiſtolas Franciſci PHILELPHI variæ exſtant ad SAXOLUM Pratenſem ab ann. 1439. ad annum 1451. ſcriptæ, e quibus patet, eum fuiſſe literarum Græcarum ſtudioſiſſimum. In literis ad illum A. 1440. v. Kal. Oct. Mediolano datis VICTORINI & Joannis ANDREÆ mentio his verbis fit: *Flaccum & Ciceronem noſtri eruditiſſimi Victorini dedi Joanni Andreæ. Id quod vt facerem ſignificaſti literis.* Ex Epiſtola autem A. 1441. VI. Id. Jun. exarata apparet, illum tunc iter in Peloponeſum fuiſſe molitum, de quo conſilio ita Philelphus: „De tua in Peloponeſum quam inſtituiſti profectione, accipe ſententiam meam. Fuit olim Peloponeſus in univerſa Græcia & viris & opibus pollens: nunc his vacua prorſus: Nam propter continuas Barbarorum incurſiones incolarumque ignaviam, adeo eſt bonis exinanita omnibus: ut, præter unum Georgium Gemyſtum, virum certe & doctum & gravem & diſertum, nihil invenias dignum laude. Principes enim illi Palæologi ipſi quoque inopia preſſi, vel ſuis ſunt ridiculo ac prædæ. Itaque præter unum Gemyſtum cætera illic omnia commiſerationis ſunt plena. Accedit: quod lingua etiam ipſa adeo eſt depravata, ut nihil omnino ſapiat priſcæ illius & eloquentiſſimæ Græcæ. Mores vero barbaria omni barbariores. Quare ſi me audias, non Peloponeſus tibi, ſed Thracia, hoc eſt nova Roma Conſtantinopolis petenda eſt. Illic enim & viri eruditi ſunt nonnulli: & culti mores; & ſermo etiam nitidus. Quod eo tibi magis faciundum cenſeo, quod neſciam, quanta ſit tibi Georgii Gemyſti futura copia, ſi Peloponeſum petieris: Eſt enim jam admodum ſenex: quique magiſtratum gerit neſcio quem. Cæterum Conſtantinopolin petiturus, poteris, ſi videbitur, ad virum ex itinere tantiſper divertere, donec præſens ipſe coramque dijudices & regimen & viros. SAXOLUS fuit filius Laurentii, qui nobiliſſimus philoſophus atque ætatis ſuæ medicus per tiſſimus dicitur in ſepulcrali epigraphe in Templo Florentino S. Mariæ Novellæ, teſte Nic. Stanisl. MEUCCIO in Notis ad Tom. I. Epiſtolarum PHILELPHI, Florentiæ A. 1743. in 8. editum p. 144. Non modo PHILELPHUM & Victorinum Feltrenſem, ſed GUARINUM etiam præceptorem habuit, POG-

Digitized by Google

minit Alerienſis, ſed præterea teſtatur, (ut allata verba demonſtrant) ipſum admodum juvenem fato conceſſiſſe.

Quo amplioribus autem laudibus in eadem Alerienſis Epiſtola cumulatur Marcus Barbus, Cardinalis, qui viros omnes illuſtres, quorum verba, & actiones Livius deſcribit, unus ipſe referret, religionis ſcilicet cultu, animi magnitudine, æquali vitæ omnis tenore, maxima modeſtia, ſuarum in Rep. ſententiarum modo, in caſtigandis moribus multæ lenitatis gravitate, eo magis commendanda venit (ut hoc obiter dicam) PAULI II. egregia moderatio, qui hujuſcemodi nactus conſanguineos, adeo tamen carni, & ſanguini non indulſit, ut vel ab ipſo Cardinali Jacobo Papienſi ea moderatio in exemplum Romanis Pontificibus fuerit propoſita. Siquidem in Epiſtola ad Sacramorum, Protonotarium Ariminenſem, maxime dolens, ex amore Sixti Pontificis in ſuos, Eccleſiæ patrimonium in diſcrimine eſſe, illico ſubdit: O PAULE SECUNDE, *ubi tua nunc eſt in parandis, & retinendis rebus Eccleſiæ laudata attentio?* Agebatur de Senogallico negotio; quod binis ejuſdem Papienſis literis, quæ illas ad Sacramorum ſequuntur, argumentum præbuit; earumque primis pauperis ſui cenſus querelas interſerit, quas ad faſtidium usque ab ipſo inculcari conſueviſſe, jam monuimus Vindiciar. Cap. IV.

VIR-

POGGIO dictus adoleſcens ſingularis ingenii & vitæ continentiſſimæ. l. c. p. 158. Inter Leonardi DATHI Epiſtolas, a Laurentio MEHUS Florentiæ itidem A. 1743. in 8. publicatas una legitur p. 39. ſqq. Florentiæ A. 1443. d. VIII. Febr. ad eum ſcripta, cum ipſi librum ſuum de vita ac moribus Victorini transmiſiſſet, quæ Victorini laudibus plena eſt. Alia ad illum exarata habetur p. 13. ſq.

Digitized by Google

VIRGILIUS MARO.

§. XII.

Primarum Virgilii Editionum notitiam haud omnino exactam tradiderunt Maittaire, Fabricius, & Orlandus, quod ipſis videre minime contigerit Romanam, quæ mihi in manibus eſt, cum Epiſtola Alerienſis ad PAULUM, & alia ad Pomponium Infortunatum. Maittaire itaque recitans pag. 14. Catalogum, quem pluries memoravimus librorum in Conradi, & Arnoldi Typographeo per ſeptem annos excuſorum, Romanam illam ſe nondum vidiſſe fatetur, deinde vero ſuo loco Venetam recenſet an. 1470. per Vindelinum Spirenſem, item aliam an. 1471. ſine loci, & Typographi indicio, ejusdemque anni Romanam, quam putat eam eſſe, quæ in laudato Catalogo recenſetur, quamquam affirmat ſe comperiſſe in quadam Angliæ Bibliotheca extare. Fabricius vero binis Venetis nominatis an. 1470. & an. 1472. tertio loco Romanam ſubdit per Udalricum Gallum, & Simonem de Luca an. 1473. Hanc ipſam memorat Orlandus, refertque notam, quæ illi ineſt, a Maittaire pariter, & Fabricio relatam: *In alma Urbe Roma non atramento, plumali calamo, neque ſtylo æreo, ſed artificioſa quadam adinventione imprimendi, ſeu charakterizandi Opus ſic effigiatum eſt, ad Dei laudem, induſtrieque eſt conſummatum per Udalricum Gallum, & Simonem de Luca MCCCCLXXIII. die* IIII. *Novembr. Sixti Quarti tertio.*

Hiſce omnibus ut certiora tradere valeam, faciunt binæ illæ Alerienſis literæ Editioni Romanæ præfixæ, quas ſtatim recitamus, quæque fidem faciunt, non unam, ſed duplicem ab ipſo Alerienſi fuiſſe adornatam. Prior ex binis illis Epiſtola, licet ad PAULUM Pontificem data, non hujus, ſed Pomponii Infortunati nomen in epigraphe refert, propterea quod poſteriorem Editionem, unde illam deſumpſi, Alerienſis eidem Pomponio nuncupaverit, ut patebit ex altera Epiſtola, priori illi ſubnexa, & Pomponio ipſi vere inſcripta.

Johannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis in Cirno, ideſt Corſicæ Inſula, in ſecundam Virgilii Impreſſionem ad Pomponium Infortunatum ſuum Epiſtola.

Eloquentiæ ſplendore, & rerum dignitate locupletiorem Virgilio Poetam, unum fortaſſe Homerum Greci nullum certe Latini invenient, quem merito linguæ latinæ excellenti ingenio Viri delicias nuncupant; quamquam ne Poetarum quidem cæteris vel Græcis, vel Romanis propriæ commendationes, ut veræ, ita ingentes, deſunt. Maronem igitur, veluti facundiæ dulcioris formatorem, pueris decantandum, & perdiſcendum tradimus, ita excoli, ac fingi ingeniorum amœnitatem judicantes, ſi Poetæ ſuavis imprimis, atque caſtigati facundiſſima carmina cum nutricis lacte miſceantur. Hac nos potiſſimum ratione cum jam ab Impreſſoribus noſtris efflagitarentur Poetæ, PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONTIFEX MAXIME, *a Mantuani Vatis Operibus Poetarum exprimendorum initia, Domino auxiliante, ſumus auſpicati, cæteros item temporibus idoneis, prout Tibi placere didicerimus, per ordinem omnes impreſſuri. Ut autem in eo quoque velut perpetuam moris noſtri ſervaremus rationem, quicquid Maronis Scriptorum indepti ſumus, quantum quidem fuimus intelligendo in tanta, tamque mendoſa Exemplariorum raritate, multorumque ejuſmodi prope deſuetudine, immo vero internecione, in corpus unum omne compegimus, laborioſiore licet nobis ſtudio, arbitrantes tamen magnum nos diſcendi cupidis ad doctrinam compendium allaturos. Qua in voluntate (quoniam facile fieri poteſt, ut rectius nonnulla, & frugalius effici potuerint) ingrati erunt mea opinione Lectores, niſi quicumque veriora habuerint Exemplaria, & ipſi ſua in medium prompſerint; qui vero acrius perſpiciunt, ac doctius, quod a mendo ſit longius, nobis quoque communicaverint. Ut enim Tu maxime omnium noſti,* PATER BEATISSIME, *qui quidem veritatis Cathedram tenes, non lucri aviditate, non laudis ambitione, non jaciendis honorum amplioribus fundamentis, non vitæ degendæ neceſſitate, non denique ullius imperantis arbitrio, tanto huic operi ardore inſiſtimus, quod eſt revera difficillimum, neque interquieſcendi unquam ſpatii quicquid ſinit. Sola nos gratificandi Tibi, & per Te amatoribus doctrinarum omnibus ingens, atque infatigabilis*

bilis voluntas tenet; qua excepta (deſit verbo invidia) nullum eſſe opinor præmium, quod par huic labori afferri queat. Opera pretium illud equidem amplum ratus ſum, quod Tibi ſtudium noſtrum cordi eſſe ſcio, PATER BEATISSIME. *Quo circa non prius oneri me ſubducam, quam quicquid in egregiis eſt Voluminibus, quamplurimis adjuvero exemplaribus communicari, quantum fieri poterit, veriſſime. Eo etiam fidelius, ac promptius, quod nonnullos audio (quibus ut felix, ac fauſtum ſit Deum omnipotentem quæſo) in hujuſmodi artificio aut jam cæpiſſe, aut non multo poſt pro virili cæpturos laborare. Quod velim Te propitio,* PATER BEATISSIME, *fiat a plurimis, ut nullum qualibet in facultate Opus ſit, quod expoſitum pauperibus ſtudioſis vili non inveniatur. Cæterum quia omnibus hominibus pernotum eſt, honore præcipue, ac premio artes ali, ex quo ſane fonte verſus ille cantatur,* Sint Mecenates, non deerunt Flacce Marones, *attentus Lector ex hoc facile diſcet Volumine, in quo, ſi non omnia, plura certe Virgilii ſunt Opuſcula, quantum honore, præmioque propoſito, divini perfecerit animi, atque orationis Vates, ubi fortunam minime imparem ſuæ adeſſe ſenſit induſtriæ, & doctas lucubrationes ſuas Principum orbis terræ donis, & honoribus cumulari. Jacentem ſane, immo latentem, & obſcurum adhuc Maronem fuiſſe oſtendit prope horridus, certe incultus Poeta divini Culex, niſi ſi exprimitur a me hac confeſſione ingenii mei tenuitas, atque hebetudo craſſioris. Equidem Culicem Maronicum ingenue fateor, vix me ad plenum intellexiſſe iterata etiam, atque etiam lectione; neque ob id modo, quod inemendatum habui Exemplar (quæ res plurimum obſtare intellectioni ſolet) quinimo ob id quoque, quoniam, dum id pangeret carmen, novicius adhuc Poeta, natalis ſoli, plusquam Caſtalii fontis præferens, tantus poſtmodum futurus totius latinitatis excultor, ac prope ſummus doctrinarum omnium arbiter Vates, nec quid ageret ſatis perſpiciebat· nec quomodo eloqueretur, facillime reperiebat; magisque inclyti Poete adeptum poſtea nomen, quam proprius ullus nitor, & ipſi Culici, & Opuſculorum nonnullis, quaſi nihil ex ampliſſimo illo ingenio non abſolutum prodierit, peperit, alioqui neglectis, æternitatem. Omitto fictionem nullibi in eo Poeta minus elegantem, dicendi filum, artemque deſidero. Eminet ſane tamquam ſtupentis adhuc, nec ſatis numeroſi ingenii dictionis facies quædam ſalebroſa, &*

 coacta

Digitized by Google

coacta profecto; non fluit naturalis illa quidem, ſed affectata, qualis poteſt, eluctatur oratio: At in Diris, hoc eſt in exſecrabilis voti cantilena, Maro minus quidem videtur compeditus, non eousque tamen explicitus, ut Poetico ad plenum cenſeas adipe ſaginatum. Copa incedit pexior, ac mollior, & uberiore Pieridum hauſtu ſaltat hilarior. Eſt & Non Virgilianum verſiculi concinentes, ingenii ſatis, & non parum induſtriæ redolent. Vir ipſe Bonus, & Sapiens Maronicus, philoſophiæ quidem multum habet, & non minimum elegantiæ. Roſæ, ut non enitent plurimum, roſas quoque ipſas, quæ odorem ſuum late non diffundunt, imitatæ, ita haudquaquam nitore deficiunt, atque ſuavitate. Lepidius multo eſt Moretum, & quantum guſtus judicare poteſt meus (etſi ſuam quæque lactucam habeant labra) multum elegans, tantum poſt ſe Culicem relinquit, quantum ad Virgilianam, quæ paulo poſt late effulſit, accedit propria ſuavitate dignitatem. Priapeam illam quidem ſpurce nimium ſcriptam, non inelegantem eſſe fateor. Sed an optimi, atque modeſtiſſimi ſit Vatis, quoniam nonnulli ambigunt, nequaquam aſſeruerim. Ea tamen, ſi honeſti tantum haberet, quantum latinitatis oſtendit, forſitan poſſet opibus vigilatiſſimis comparari. Quæ præter hæc Opuſcula in noſtro ſunt Codice, me arbitro, nemo, Epithaphiis verſiculis duobus exceptis, Vati tribuet Mantuano. Ex ingenio illa quisque cenſebit ſuo. Ego omnes obſecro per Te, PATER BEATISSIME, *ſtudioſos, ut grato, civilique animo laboribus noſtris faveant, Tuæque Sacroſanctæ Majeſtati, Sanctæ item Romanæ Eccleſiæ, ac Chriſtianæ ſoſpitati feliciſſimam perpetuitatem exoptent. Vale.*

Quod in ſuperiori §. XI. tamquam valde veroſimile tradidimus, Conradum, & Arnoldum omnium primos Romæ, teſte Alerienſi, Typographicen exercuiſſe, robur accipit ex hujus Epiſtolæ verbis, quibus idem affirmat, nonnullos in eo artificio aut jam cœpiſſe, aut non multo poſt pro virili cœpturos laborare, unde libri venales expoſiti a ſtudioſis pauperibus vilius emerentur. Præter Aeneidem, Bucolica, & Georgica complectitur Editio Alerienſis plura alia Opuſcula Virgilio paſſim adſcripta, de quibus quam ſane ex ingenio ſuo ipſe cenſeat, facile quivis judicabit, qui ejus dicta conferat cum iis, quæ de iisdem a

doctis

Digitized by Google

doctis Virgilii Editionum Authoribus, aliisque Viris eruditis prodita reperiuntur. Flocci Opuſcula illa feciſſe cenſendus eſt Angelus Politianus, quippe qui ipſam Alerienſis Editionem Scholiis Græcis, Latinisque exornans (quæ ipſiusmet manu exarata, jucundiſſime, dum hæc ſcribimus, intuemur) Opuſcula illa intacta prorſus reliquit, ſi pauculas ad Priapeja notulas excipias.

Subdam modo aliud Alerienſis Epiſtolium, quod utique unice ſpectat ad Virgilianam alteram Editionem, ea de cauſa curatam, quod in priore Impreſſores plus, neſcio quomodo quam communiter ſolent, dormitaſſent, ut ipſe loquitur. Secundæ illius recognitionis beneficium acceptum fert Alerienſis Pomponio ſuo, a quo impetraverat, ut antiquiſſimum Virgilianum Exemplar ſuas ad manus perveniret, etſi carptim evolvendum, *Et ſi fieri poterit* (inquit) *quod ſpero, ut poſſim diutius illum per dominum ejus in meis manibus tenere, diligentiſſime curaturum me ſpondeo, ut tertia fiat impreſſio, ne quid omnino videatur ex Virgiliana a noſtris majeſtate deſiderari.* Quænam inſuper Opuſcula, quibus prior Editio carebat, Pomponius Alerienſi tradiderit, Epiſtolium ipſum declarabit. Pomponius ille certo putandus videretur non alius fuiſſe, quam Julius Pomponius Lætus, quem celeberrima in Quirinali Monte potitum Bibliotheca magno doctorum Virorum commodo, plura horum Scripta teſtantur, & cujus in veteres Auctores lucubrationes multi recenſent; nullus autem luculentius, quam Author Diar. Erudit. Ital. T. XXII. Art. XI. At de Infortunati nomine, ei tributo ab Alerienſi, quod nulla prorſus mentio in eo Diarii loco inveniatur, etſi pluribus ibi agatur de noxa, quæ Pomponio Læto (*q*) dabatur ob

(*q*) Pomponius LÆTUS fuit Academiæ Romanæ (cujus ut quis hiſtoriam ex inſtituto deſcriberet, operæ pretium foret) ſtator & princeps. Solemne illi erat, eorum, qui in iſtam recipiebantur, nomina immutare, id quod & aliis deinde Academiis fuit uſitatum. Hoc vero LÆTUM ac præcipuos ejus Academiæ ſodales in ſummam Pauli II. indignationem & maximas moleſtias conjecit, quod PLATINA non ſine ſtomacho copioſe narrat, qui ipſemet magna ejus calami-

nomina ſibi, ſuisque eadem literarum ſtudia aſſectantibus, immutata (qua de re Vindiciar. Cap. I. a nobis dictum eſt) inde ancipitis ſenten-
tiæ

calamitatis pars fuit. Michael CANENSIUS in vita illius Pontificis, a Card. QUIRINO edita, p. 79. ita de ipſo: *Hujus ſectæ principem pro honeſtate hic nominare minime intendimus, cum in ore omnium propalam verſetur, qui Romæ grammaticam publice edocens, primo nomen ſibi commutavit, dehinc certatim diſcipulorum amicorumque nomina ingerens.* Haud incongruum erit, recitare locum huc facientem Octavii FERRARII, ſplendidiſſimi, dum inter vivos ageret, Italiæ ſuæ ornamenti, ex Operum ejus variorum, a Jo. FABRICIO Wolfenbüttelii A. 1711. junctim evulgatorum, Tomo I. p. 110. Flos
„eruditorum ea tempeſtate fuit. Inter quos Platina, Pomponius
„Lætus, Callimachus, Pontanus, Sabellicus, Sannazarius emine-
„bant. Hi ad propagandas bonas literas ſodalitium Romæ inſtitu-
„erant, & quicumque in eum cœtum adſcribebatur, veterum in-
„geniorum illuſtria nomina ad æmulandum decus aſſumebat. Ita
„Bartholomæus Saccus, ſive ab hoc inſtituto, ſive aliunde Platina
„eſt dictus, Julius Sanſeverinus Pomponii Læti cognomen aſſumſit,
„Philippus Geminianus Callimachi, Jacobus (ſive potius Joannes)
„Pontanus Joviani titulo gaudebat, M. Anton. Coccius Sabellici,
„Jacob. Sannazarius Actii Sinceri cognomento nobilis fuit. Ea no-
„minum novitate populorum paſtor offenſus, quaſi occultæ conſpi-
„rationis teſſera eſſet, Platinam, & Callimachum, tanquam im-
„pios ac maleficos, tormentis excruciavit, Pomponium Lætum
„Venetiis ad dicendam cauſam in urbem pertractum, nunquam ta-
„men adigere potuit, ut falſa aut ſe indigna fateretur: ſed in nul-
„lum atrocius, quam in Platinam ſæviit. Hujusce Academiæ quædam veluti colonia erat Academia Neapoli a PONTANO inſtituta, in qua idem commutandorum nominum mos obſervabatur, de quo audire, juvat Joannem Antonium VULPIUM, Virum doctiſſimum, in vita SANNAZARII, ejus poematibus Patavii A. 1731. nitidiſſime editis, præfixa p. IX. ſq. ita perorantem: Flo-
„rebat ea tempeſtate in celeberrima urbe (Neapoli ſcilicet) Joan-
„nes Pontanus, vir diſciplinis omnibus, & præcipue illis, quibus
„juvenum animi ad humanitatem informantur, præter cæteros ex-
„cultus atque expolitus. Ad hujus domum, tamquam ad certiſſi-
„mum

tiæ juſta exoritur cauſa. Cui dubietati momentum accedit ex eo ipſo Infortunati nomine, quo diſtinctus mihi occurrit Pomponius, Author vitæ

„mum Muſarum & Sapientiæ templum, flos nobilitatis & juven„tutis Neapolitanæ undique confluebat: & cuicumque adoleſcenti „bona de ingenio ſuo ſpes eſſet, is neminem alium, niſi Pontanum, „ſtudiorum ſuorum hortatorem quærebat. Quapropter non defue„runt, qui Pontani Academiam (ſic enim ipſe lectiſſimorum inge„niorum concilium illud cœtumque appellabat) equi Trojani ſimil„limam fuiſſe docerent, ex qua ſcilicet non quidem belli duces, „urbiumque expugnatores, at egregii poetæ, ſummique oratores „plurimi in apertum prodierint. Conſuetudo autem erat, ut qui„cumque bonarum artium cupiditate inflammatus ad maximum „virum ſe applicuiſſet, novum ſibi nomem imponeret, ex antiqui„tate depromtum. Putabant enim, ejusmodi nomina & plus di„gnitatis in ſe continere, & blandius quodammodo iucundiusque „in aures influere poſſe. Quo tamen facto nonnulli cenſoriæ gra„vitatis homines vehementer offenſi ſunt; quibus nimirum Chri„ſtiana lædi pietas, & majorum inſtituta convelli videbantur, ſi, „nominibus, quæ ſanctiſſimorum virorum olim fuiſſent, penitus „abjectis, in eorum locum alia ſupponerentur, quæ profanarum „gentium memoriam renovarent. Sed pleræque res in hominum „vita, quæ neque ſummam honeſtatem, neque rurſus inſignem „turpitudinem adjunctam habent, perinde ſunt, ut accipiuntur; „nec quidquam adhuc in eo genere vel ſapientiſſimis excogitari po„tuit ita elegans atque perfectum, ut nullos omnino reprehenſores „invenerit. Pontanus igitur, quo reliquos exemplo excitaret, Jo„vianus appellari voluit: Sannazarium vero jam pridem in familia„ritatem receptum, Actium Syncerum ex eo nominavit, quod ille „princeps ex Latinis bucolico poemate piſcatores de amoribus ſuis „in acta colloquentes induxiſſet, & quod ſine fuco & fallaciis vi„tam ageret, nec aliud clauſum in pectore, aliud in lingua prom„tum haberet; amaretque puram & ſimplicem dicendi formam, in „qua ſcilicet ipſius ingenium & mores apertiſſime elucebant. Quæ „vero argumenta impulerint Paullum Jovium, ut monumentis tra„deret literarum, a Sannazario avitum gentilitiumque nomen re„pudiatum fuiſſe, equidem ignorare me fateor. Nam tametſi Ja„cobus,

Digitized by Google

vitæ Lucani, Fortunati vero, Julius Pomponius libri Columellæ de Cultu Hortorum Commentator. Has enim lucubrationes neque modo laudatum Diarium, neque alii Scriptores adſcribunt Pomponio Læto. Epiſtolium autem Alerienſis, recitatæ Epiſtolæ ad PAULUM illico ſubnexum, hujusmodi eſt.

Hucusque Epiſtolam clauſeram, amantiſſime Pomponi, in ſuperiore edenda impreſſione Virgiliana, in qua tu teſtis es optimus, noſtros Artifices plus, neſcio quomodo communiter ſolent, dormitaſſe. Dein ipſe antiquitatis totius ſtudioſiſſimus, Maronis tamen aliquanto amicior, dediſti operam, ut ex manibus tuis antiquiſſimum Virgilii Exemplar, majusculis characteribus deſcriptum, vix carptim poſſem evolvere. Erant in eo, quod meminiſti, minus prima Bucolicorum Ecloga, Georgica, Æneisque abſoluta. Præterea nihil. Fateor aliquibus in locis, & verbis Codicem mihi vetuſtum illum judicatum eſſe noſtro veriorem. Et ſi fieri poterit, quod ſpero, ut poſſim, diutius illum per dominum ejus in meis manibus tenere, diligentiſſime curaturum me ſpondeo, ut tertia fiat impreſſio, ne quid omnino videatur ex Virgiliana a noſtris majeſtate deſiderari. Tu tamen mihi etiam Ætnam Maronis, & Cirin, integras quidem, ſed inemendatas, Catalecton vero etiam corruptius, & imperfectum tradidiſti. Vitam item divini Vatis breviſſime ſcriptam, & nonnullos ſummarios operis verſiculos, eos quoque, qui Hortuli nomine inſcribuntur. Quæ ego omnia diligentia tua, ut debui, mirum in modum oblectatus, adſcribi huic novæ impreſſioni curavi, tali tamen conditione, ut ſi quid imprimendo noſtri Artifices errarint, tua ſit etiam emendandi cura, qui ut hæc legi a pluribus poſſent, ſedulitate tua effeciſti. Vale.

Tandem

„cobus, ubi conventus amicorum iisdem ſtudiis gaudentium, aut „feſtiva aliqua ſcriptio hilaritatem & jocos poſtulare videbatur, „illo altero nomine ſæpius uteretur, non tamen ad eas ineptias „umquam deſcendit, ut proprium clariſſimæ familiæ vocabulum „aſpernaretur. Immo vero, id ſibi magno ornamento eſſe, & „apud poſteros fore, exiſtimans, optimis verſibus commemorare „ac celebrare non deſtitit.

Digitized by Google

Tandem Lectorem monemus, Peregrinum Antonium Orlandum in Operis ſui Part. II. qua ulterioribus ſtudiis, ut ipſe loquitur, & diligentiis adhibitis, nonnullas exhibet Editiones in I. Part. prætermiſſas, memorare Virgilium editum Romæ in Aedibus Maximorum circa annum, ut ipſe putat, 1469. Romæ profecto ex Aedibus Maximorum, atque opera Conradi, & Arnoldi prodiiſſe Editionem, qua uſi ſumus, certo documento ſunt verſus: *Aſpicis illuſtres &c.* qui ibidem leguntur poſt incerti Authoris Elegiam de obitu Mœcenatis.

OVIDIUS NASO.

§. XIII.

A metamorphoſeon libris præclariſſimis, ut eos merito vocat Lactantius, præla Conradi, & Arnoldi inchoarunt Ovidianorum Operum Editionem. In manibus ii mihi ſunt, indeque Alerienſis Epiſtolam, quæ ſubſequitur, ad PAULUM II. exſcripſi.

Jo. Andreæ Epiſcopi Alerienſis in Cyrno Epiſtola.

P. *Ovidium Naſonem*, PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONTIFEX MAXIME; *acerrimi Poetam ingenii nemo eſt, qui maxime non admiretur, nemo qui non diligat, & ut ſuaviſſimum exoſculetur. Magnum tamen ejus Metamorphoſeos Opus, quanquam inemendatum ab eo propter exilii calamitatem relictum eſt, omnibus illius præſtat Operibus. Id nos per æſtatem præſentem, quaſi ludentes inter majora Ciceronis Orationum Opera, recognovimus, & parva quædam Argumenta Fabularum principiis appoſuimus. Si quis fortaſſe diligentius in ea re vigilavit, aut plenius quicquam ab antiquis traditum habetur, exponat illum in publicum, rogamus. Nos ipſi ſatis arctati temporum anguſtiis, neceſſitati potius paruimus, quam noſtro deſiderio. Cætera omnia Poetæ*

Digitized by Google

Opera, quanta cura poſſumus, congregamus, ut leniſſimus Vates in duobus legi totus Voluminibus poſſit. Romæ quintodecimo Kalen. Auguſti M. CCCC. LXXI. Pontificatus tui candidiſſimi An. VII.

Quamvis autem Maittaire in hujus anni 1471. Catalogo recenſeat tria Ovidii Operum Volumina a Conrado, & Arnoldo edita; recenſens tamen paulopoſt Bononienſem ejusdem anni eorundem Operum omnium Editionem, ibidem monet duas tantum ipſorum partes Romæ anno illo emiſſas fuiſſe, ſcilicet Metamorphoſes, & Elegias, idque conſtare *ex Alerienſis* (ait ipſe) *Epiſtola bis præmiſſa, & Catalogo ad Biblia Nicol. Lyr. an. 1473. adjecto.* Faſtorum autem libros mox ſubdit ex illorum prælo poſt illud tempus prodiiſſe. Quod de Elegiis traditur a Maittaire, & ex ejus fide a Fabricio, non video tam facile admitti poſſe pro certo, ſive Epiſtolæ, ſive Catalogo a Maittaire allegatis nitamur. Epiſtolæ fragmentum tantum hic recitat; nos integram attulimus, & in ea non Elegiarum, ſed unica habetur mentio Metamorphoſeon. Catalogus autem ille, utpote an. 1473. conditus, non omnino probat, quod Maittaire intendit. Adde recitatam Alerienſis Epiſtolam datam fuiſſe paucis dumtaxat diebus ante PAULI obitum, qui propterea præceſſerit oportet Elegiarum, aliorumque Ovidii Operum Editionem, quibus congregandis, dum eam Epiſtolam ſcriberet, Alerienſis incumbebat.

Ad calcem Voluminis Metamorphoſeon leguntur verſus, *Aſpicis illuſtres &c.* ad calcem autem Epiſtolæ Alerienſis ſequens Hexaſtichon.

Orba parente ſuo quicumque Volumina cernis,
His ſaltem veſtra detur in urbe locus.
Quoque magis foveas, non hæc ſunt edita ab ipſo,
Sed quaſi de domini funere rapta ſui.
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, ſi licuiſſet, eram.

AN-

Digitized by Google

ANNÆUS LUCANUS.

§. XIV.

Binis aureæ ætatis Poetis jam jam recenſitis totidem argenteæ ſubjungemus, ſcilicet Annæum Lucanum, & Silium Italicum, nec non æneæ ætatis unum, nimirum Julium Calpurnium; nec enim alios Latinos Poetas, præter hos quinque, in lucem emiſerunt Romana præla, PAULI II. temporibus, licet integram eorum coronam publico bono evulgare in animo habuerit Alerienſis.

Princeps Lucani Editio, quam in manibus habeo, præfert ejusdem Alerienſis Epiſtolam, in qua Lector magnopere obſervet velim, adeo litteris fauſtum fuiſſe PAULI II. Pontificatum, ut hujus exemplo Cardinales omnes rei Typographicæ, bonisque ſtudiis juvandis incredibiliter afficerentur, & quo major foret in eis dignitatis ſplendor, eo etiam humanitas cumulatior duceret.

Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis ad PAULUM II. VENETUM PONT. MAX. *Epiſtola.*

Hoc *tempore*, PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONT. MAX., *bonam primum valetudinem ab Omnipotenti Deo per caſtiſſimas tuas preces opto ut incredibili queam ſufficere recognoſcendi oneri, prius, alieno rogatu ſuſcepto, nunc manibus, pedibusque (ut ajunt) mea ſponte ita complexo, ut nulla videar poſſe difficultate revocari. Liberalem deinde illis animum dari, libros ſuos quicumque habent, in medium exponendi, ut variorum Exemplarium fideliore ſubſidio facilius poſſim, alioquin tempore pauper ingenii, publico ſtudioſorum commodo ſubſervire. Aut ſi quos tanta occupavit vel ruſticitas, ut multos, vel invidia, ut plures, vel item avaritia, ut nonnullos, ne eorum charta vileſcant (quas ut prædam harpyarum more unguibus retinent) ſaltem in meam vel ſuggillationem, vel ruborem, noſtram præſentem operam irridentes, carpant,*

modo proferant ſua ipſi, vel ex libris, vel ex ingenio locupletiore, veriora. Tanto enim ardore flagramus hujus quidem liberalis, caterum negotioſi ocii, ut dummodo proſimus literatis, noſtro etiam queamus in re hujusmodi dedecore gloriari. Cæteri ſane ſtomacharentur, atque ægre ferent, ingratis, quales ſunt multi, ſuæ tempeſtatis hominibus, ſtudia peritiora, & vigiliæ multum habentia, exhibere. Nos, abſit, ut ægre feramus hanc (vere dixerim) inhumanitatem. Neque enim noſtri tantum ævi hominibus inſervimus, ſed futuris omnibus vacamus, cupientes quidem præſentium voluntatem, ſed non minus utilitatem futurorum. Noſtra in eo virtus ob id clarior forſitan extabit, quod ne ingratitudine quidem irritati quorundam, nobis negantium Exemplaria, ab optimo inſtituto fuerimus revocati. Sed Deo gratia Optimo Maximo, & Tibi, PATER BEATISSIME, *quod ex Sacro Collegio Cardinalium Tuæ Sanctitatis Fratrum, neminem adhuc reperimus, noſtris ſtudiis non incredibiliter affectum, atque favorabilem, adeo ut quo major ſit in eis dignitatis ſplendor, eo etiam humanitas plenior eluceſcat. Quod utinam de cæteris gradibus dicere vere poſſimus, forſitan eſſemus aliquando nonnullis de laboribus liberati. Sed ſciant tenaces iſti, non ſe libros amare, ſed chartas, quibus pro ingratitudine hoc ſolum recipimus, nos tanto plus laudis merituros, qui quidem ſimus etiam in avariſſimos chartæ bonorum librorum copiæ munifice liberales. Sed jam M. Annæi Lucani Vitam, deinceps Poema canorum audiamus.*

Annus Editionis certo nobis deſignatur ex nota ad calcem Voluminis: *Hoc Conradus Opus &c. MCDLXIX.* Poſt Alerienſis autem Epiſtolam ſubditur Lucani Vita a Pomponio Infortunato conſcripta, in qua & Alerienſis diligentia, & Conradi, Arnoldique labores hiſce verbis commendantur: *Jo. Andreas, Antiſtes Alerienſis, diligentiſſime noſtro tempore emendavit* (Pharſaliam) *rogantibus Conrado, & Arnoldo, qui, ne lingua Romana pereat, libros laudabili inventione imprimunt.* Vitam hanc memorant tam Annales Typographici, quam Nicolaus Antonius in Biblioth. Hiſpan. At an Pomponius ille Infortunatus idem ſit cum Pomponio Læto, vel cum Julio Pomponio Fortunato, cujus exſtant lucubrationes in Columellam de Cultu Hortor. vel ſint hi omnes inter

Digitized by Google

inter ſe diverſi, nullam inveſtigandi curam ſuſceperunt nec Maittaire, nec Antonius, nec alii (*r*), quod ſciam. Sat notus etiam Julius

Pompo-

(*r*) Ignota ergo fuit Eminentiſſimo Cardinali egregia Bernardi MONETARII (*de la Monnoye*) diſſertatio de rebus ad Pomponium LÆTUM pertinentibus, inſerta Tomi II. parti primæ Adriani BAILLETI *Jugemens des ſavans ſur les principaus ouvrages des Auteurs* pag. 371. ſqq. edit. Amſterod. A. 1725. in 12. in qua p. 376. ſqq. Pomponium Lætum, Julium Pomponium Sabinum & Julium Pomponium Fortunatum unum eundemque fuiſſe hominem, ſatis eviciſſe mihi videtur. Fortunati quidem nomen (de altero enim Sabini nomine nemo fere dubitat) Lætum adſciviſſe demonſtraturus, provocat ad Curii Lanciloti Paſii Grammaticæ inſtitutionis libros, in quibus LÆTUM ſemper vel ſimpliciter Pomponium Fortunatum appellat: & ad Guilielmum Varronem Vercellenſem, Senatorem civitatis Taurinenſis, qui in epiſtola nuncupatoria ad Senatum Taurinenſem Orationi a Petro Cara coram Alexandro VI. nomine Caroli I. Sabaudiæ ducis A. 1494. d. 29. Maji habitæ præmiſſa ita inter cætera:

Convenerant ad hæc comitia, ut eſt moris ex omnibus liberalium artium Profeſſoribus peritiſſimi, inter quos Pomponius Lætus Fortunatus togatorum eruditiſſimus.

Præterea Pyrrhus PEROTTUS, Nicolai e fratre nepos, in procemio Cornucopiæ patrui his verbis utitur: *Cum jam ſupra quintum annum POMPONIUS FORTUNATUS, Vir ſeculo noſtro doctiſſimus & Romanæ Academiæ princeps, ac plerique alii ſtudioſi viri Nicolaum PEROTTUM, Siponti Pontificem, patruum meum hortati eſſent, ut M. Valerium Martialem, optimum quidem poetam, ſed vitio librariorum infinitis pene erroribus plenum pro communi ſtudioſorum utilitate emendandum ſuſciperet; aggreſſus eſt illi hanc provinciam libens, & corollarium addidit.* Illud elogium nemini ea ætate præter quam LÆTO tribui poterat, quem POLITIANUS etiam Cap. XLIV. Miſcellaneorum Romanæ Academiæ principem vocat. FORTUNATI vero nomen poſt mortem Pauli II. quem hoſtem infenſiſſimum expertus eſt, adſciviſſe videtur, ſuperatis ſummis calamitatibus, quæ ipſum revera INFORTUNATI nomine dignum reddidere, & mutata tunc rerum facie

Digitized by Google

Pomponius Sabinus, qui ſub Pio Secundo floruit, Quintiliani Inſtitutionum Scholiaſta, ut vocatur in Biblioth. vet. Hiſpan.. Quo jure Infortunati nomen nanciſci valuerit Pomponius Lætus, facile cuivis, tradita noſtrarum Vindiciar. Capite I. recolenti, veniet in mentem. Qui etiam recolet, quæ de Lucano in libro de Brix. Literat. tradidimus, dignoſcet, manca prorſus eſſe, & imperfecta, quæ in eadem Biblioth. Hiſpan. de Lucani illuſtratoribus produntur, inter quos nullus locus datur Joanni Taberio, Brixiano, quum tamen Joannis Britannici, pariter Brixiani, Epiſtola a nobis eo loco recitata, certum fiat, ejusdem Taberii cura, fide, & ingenio, emendatiſſimos primum prodiiſſe Commentarios in Lucanum, qui antea falſo Omniboni Vincentini titulo inſcripti circumferebantur.

SILIUS ITALICUS,

ET

JULIUS CALPURNIUS.

§. XV.

Quod in principe Silii Editione, quam in manibus habeo, una cum ejus de Bello Punico Poemate compactus reperiatur Julius Calpurnius, Bucolicorum Scriptor, viſum eſt utrumque hoc loco conjungere. Ad ejus Editionis calcem hæc leguntur: *Anno Dominici Natalis MCCCCLXXI. die V. menſ. Apr. Summ. Pontifice* PAULO II. VENETO. *Anno*

facie ſub Sixto IV. Pont. cujus gratia fruebatur. Conf. *NICERONII Memoires pour ſervir a l'hiſtoire des Hommes illuſtres* Tom. X. Part. II. p. 223. ſqq.

Digitized by Google

Anno Pontific. VII. Jo. Andreas, Epiſcopus Aleriensis in Inſula Cyrno, recognitionem abſoluit diebus circiter XV. Lector benivole vale perpetuo. Sequuntur verſus, *Aſpicis illuſtres, &c.* Calpurnii Eclogas editas fuiſſe eodem anno, quo Silius, ad affirmandum, licet dubie, adducitur Maittaire ex Catalogo ad Lyran. Bibl. in quo Poetæ illi ſic recenſentur: *Silii Italici cum C. Calphurnio, & Heſiodo.* At dubitationem omnem rejeciſſet, ſi illius Editionis Volumen verſaſſet, quod in Calpurnio incipit, & deſinit in Silio. Id ipſum ſi Fabricio innotuiſſet, haud quaquam is affirmaſſet Bibl. Lat. lib. III. c. 5. Eclogas Calpurnii primum Parmæ an. 1478. lucem adſpexiſſe; qui præterea ibidem demonſtrans, ex Epiſtola Petrarchæ ad Guillelmum Paſtrengum Veronenſem, falſo a quibusdam prodi eas Calpurnii Eclogas ex Gallia primum allatas fuiſſe ab Actio Sincero Sannazario una cum Gratio, Ovidii Halieuticis, & Cynegetico Nemeſiani, nullam de hac re litem eſſe poſſe, ex eo ipſo Volumine, de quo loquimur, confidentius pronunciare valuiſſet.

Calpurnio, & Silio medius inſeritur in eodem Volumine Heſiodus Poeta a Nicolao de Valle e Græco in Latinum ſermonem converſus, nuncupatusque Pio II. cum quibusdam elegis, quos hic afferemus.

Si vacat Ænea rerum digniſſime Præſul,
Grataque ſunt animo carmina noſtra tuo.
Perlege quæ quondam dulci modulatus avena
In Latios auſus vertere Græca modos.
Aſcræi inſpicies ἡμέρας, καὶ ἔργα *Poetæ,*
Græcia quo quondam floruit Heſiodo.
Hæc fuerant fateor plectro meliore canenda,
Hoc opus ingenii quippe ſenilis erat.
At quia nonnullos tam magna ſuperbia vates
Elevat, ut nullo Græca in honore putent;

Sunt

Sum tamen hoc auſus bis ſeptem, & quatuor annis
Dum mea labuntur luſtra trahente Dea.
Sumpſimus & tenues Græcorum e fontibus hauſtus,
Mixtaque cum Græco lingua Latina fluit.
Quidquid id eſt, ad Te, Vatum clariſſime Vates,
Mittimus, es Clario non minor ipſe Deo.
Suſcipe, & Heſiodum placido complectere vultu,
Hic quoque judicio ſtetque, cadatque tuo.

De Silii Codice Ms. a Poggio in Germania invento dictum a nobis eſt Part. I. Cap. I. §: I. Diatr. ad Epiſt. Franc. Barb. & de Heſiodi Genealogia a Pylade Brixiano in Latinum verſa, de Brix. Literat. P. II. num. XXIIII.

PLINIUS MAJOR.

§. XVI.

Harduiniana Plinii Editio, *omnium* (ut loquitur Fabricius Bibl. Lat. lib. II. cap. 13.) *non modo illius Scriptoris, ſed etiam aliorum, quotquot in uſum Delphini illuſtrati exſtant, longe præſtantiſſima*, Procemium ſuum ab inſigni hallucinatione (quibus verbis uſi ſumus agentes de Queſnelliana S. Leonis) exorditur, dum hæc habet: *Ut primum divino munere typis edendi libros ars eſt conceſſa mortalibus, publicandi ſtatim Pliniani Operis mentem Viris cum nobilitate, tum omni virtutum, ac doctrinarum genere clariſſimis Numen injecit. Quamquam alias nemo tam obſcurus fuit, quin illuſtris eſſe cœperit, poſtquam huic operi manus admovit. Vulgavit igitur illud omnino primus Joannes Andreas, Alerienſis Antiſtes in Corſica. Hunc ille primus omnium agrum aravit: ſed ſen-*

tibus,

tibus, ut ita dicam, adhuc reliquit, rubisque pleniſſimum. Dubio procul Romanam Alerienſis Editionem præceſſit Veneta, quæ mihi in manibus eſt, per Vindelinum (*s*) Spirenſem, ad cujus calcem hi verſus leguntur.

Quem modo jam rarum cupiens vix Lector habebat,
Quique etiam fractus pene legendus eram,
Reſtituit Venetis me nuper Spira Joannes,
Exſcripſitque libros ære notante meos.
Feſſa manus quondam, moneo, calamusque quieſcat,
Namque labor ſtudio ceſſit, & ingenio.
MCCCCLXVIIII.

Z Editio

(*s*) Non Vindelino ſed Joanni Spirenſi ea editio accepta ferenda, quod ex ipſo hexaſticho ſub calcem adjecto apparet. Splendidum hujus editionis principis Plinii exemplar, quod inſtructiſſimam olim Bibliothecam Hohendorfianam ornavit, deſcripſit SALLENGRE *Memoires de Litterature* Tom. I. Part. II. p. 275. ſqq. De ſumma ejus raritate vel hinc judicium ferri poteſt, quod centum duntaxat exemplaria fuiſſe excuſa verſus operi Auguſtini de Civitate Dei, quod idem ille Joannes de Spira imprimere cœpit, Vindelinus autem ejus frater A. 1470. ad finem perduxit, ſubjecti docent:

Qui docuit Venetos exſcribi poſſe JOANNES
Menſe fere trino CENTENA volumina Plini,
Et totidem magni Ciceronis SPIRA libellos
Cœperat Aureli, ſubita ſed morte peremptus
Non potuit cœptum Venetis finire volumen.
VINDELINUS adeſt ejusdem frater & arte
Non minor, Hadriacaque morabitur urbe.

Digitized by Google

Editio autem Alerienſis dumtaxat anno 1470. prodiit, ut patet ex ejuſdem Epiſtola mox recitanda. Neque Veneta tantum, ſed Veronenſis quoque an. 1468. palmam Romanæ præripiet, ſi tamen Beughemio aſſentiamur diſerte illam memoranti in Incunab. Typograph. p. 110. quamque qui negant extare, *non alio* (ait Fabricius) *id argumento videntur facere, quam quod illa ſe oculis ipſorum necdum obtulit, uti nec meis.* Imo vero efficax aliud argumentum afferre ſibi viſus eſt Maittaire Annal. Typograph. ſecund. Edit. p. 280. in nota ad num. 3. nimirum Joannis Veronenſis teſtimonium, qui an. 1472. edens Veronæ Valturium de Re Militari, hanc notam libro appoſuit: *Johannes ex Verona oriundus, Nicolai Cyrurgiæ Medici filius, Artis impreſſoriæ magiſter, hunc de Re Militari librum elegantiſſimum literis, & figuratis ſignis, ſua in patria primus impreſſit MCCCCLXXII.* At argumentum hujuſmodi non adeo utique efficax, quin potius infirmum, quum aliud prorſus ſit Valturium editum primum fuiſſe Veronæ anno 1472. aliud eo anno imprimendi artem Veronæ cœpiſſe principium. Argumentum autem illud a Fabricio allatum non ita levis momenti cenſeri debet, poſtquam Clariſs. Author Veronæ Illuſtratæ ingenue faſſus eſt Part. II. lib. I. nec ſuis oculis Veronenſem illam Editionem ſeſe unquam obtuliſſe, & ſolum conjicit, eandem Venetiis an. 1469. perfectam, Veronæ an. 1468. inchoari potuiſſe, Impreſſoribus Verona Venetias advolantibus. Cui conjecturæ juvandæ aliquo modo facit, quod tradit Maittaire, in Catalogo Biblioth. Ultraject. fol. 76. (teſte Bunemanno) legi: *Plinii Hiſtoria Naturalis per Joannem Spiren. fol. Venet.* 1468. qui duo anni, 1468. & 1469. eidem Editioni adſcripti fuerint, non quidem, ut Maittaire conjectare placet, per foliorum aliquot, quæ ad examen revocare, & recudere opus fuerit, diſpunctionem, ſed ob prælum Verona Venetias translatum poſt Plinianam Editionem in ea prima Urbe inchoatam. Venetam aliam an. 1470. fol. grandi charta, & typis ſuculentis per Nicolaum Jenſon, Gallicum, fuiſſe in Bibliotheca Joannis Mori, Elienſis Epiſcopi, teſtatur Fabricius, penes quem de hac re fides eſto (*t*). Exſtat

(*t*) Notitiam hujus editionis hauſit FABRICIUS ex indice librorum, ſub artis typographicæ primordia, vel temporibus ab ejus inventione haud

Digitized by Google

Extat quidem, & eam ipſe inſpexi, Veneta anno 1472. per Nicolaum illum Jenſon, in Romana Angelica Bibliotheca, eaque magnifica, ut ſuperiorem deſcribit Fabricius. Hujus, non vero ſuperioris, meminit Maittaire, qui præterea prior. Edit. p. 34. fidem facit, eam ſe vidiſſe in curioſiſſima Bibliotheca Richardi Mead cum initialium literarum illuminationibus, ſingulorum librorum argumentum exhibentibus. Quod Jenſon in calcem ſuæ hujus Editionis, Alerienſis Epiſtolam datam an. 1470. tranſcripſerit, inde fortaſſe hallucinationis cauſam accepit Fabricius, ſeu quivis alius, qui eandem ab ipſo Jenſon anno 1470. vulgatam exiſtimavit, quum ea vere ad an. 1472. pertineret. Viderunt quidem publicatam Venetiæ tertio Plinii Hiſtoriam, nempe an. 1473. ab ipſo Jenſon, nam & hanc etiam Editionem inſpexi.

Epiſtola Alerienſis, Romanæ præfixa, ita ſe habet.

Johannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis ad Pontificem Summum PAULUM II. VENETUM *Epiſtola.*

Properatio omnis jure reprebendi ſolet, PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONTIFEX MAXIME, *iis in operibus, quæ vix ſatis maturari queunt. Quod ipſe cum multis aliis in rebus ſim expertus, in Pliniana tamen recognitione potiſſimum, quæ ejusmodi quidem eſt, ut ſemper incipi poſſe, nunquam digne abſolvi, ac pro Auctoris merito videatur. Sed quid facerem? tot undique flagitantibus in nonum annum premi non potuit emendatio, ne futura quidem exacta poſt nonageſimum. Verſandi erant etiam, atque etiam Scriptores omnes Latini, Græcique, conſulendique non tantum ſapientiæ principes, verum officinarum quoque omnium opifices, ac penita, abſtruſaque in artificiis omnibus, &* per-

haud ita remotis impreſſorum, in Jo. MORI, Epiſcopi Norvicenſis, Bibliotheca inſtructiſſima aſſervatorum, qui inſertus eſt Tom. II. Part. I. Catalogi librorum MSS. Angliæ & Hiberniæ, Oxoniæ e theatro Sheldoniano A. 1697. evulgati, f. 379.

Digitized by Google

perſcrutanda diligentiſſime, & eruenda planiſſime. Juvit ſane, ac mirifice juvit conatus meos (quod minime diſſimulandum arbitror) Vir ſummæ eruditionis, & ſapientiæ, Theodorus meus Gaza; atque ita quidem, ut absque illo neque ego, nec (pene dixerim) mundus hoc munus fuerit impleturus, Codicum noſtrorum lectio, ubi in manus hominum venerint, periculum de ſeſe præbebit noſtræ diligentiæ. Conferentur cum iis Voluminibus, quæ prius habebantur omnia, & ex librorum collatione judicii cenſura conſtabit. Quæ mihi ſint viſa plus habere difficultatis, emolumenti vero, rectiſſime etiam inventa, minus, ea ſunt, locorum quorundam nomina, & dimenſionum numeri in ſitu terrarum poſiti. Potuiſſent tamen longiſſimo tempore ea quoque partim ex Coſmographis, partim ex Hiſtoricis, partim denique ex Poetis, atque Oratoribus ſparſim attentata, & expreſſa nonnunquam colligi. Sed diuturnitatis prope immenſæ opus illud fuiſſet; & legentium plurimi ſibi per ſe ſe multa in dies efficient eo ſtudio meliora. Qua in parte omnes humanitatis ſectatores obſecro, ut ad communem utilitatem ipſi quoque ſolertia eorum inventa proponant in medium. Nihil enim unquam, aut tam exiguum, & parvum fuit, aut adeo ingens, atque immenſum, quod non fieret pluribus melius. Rudimenta ſunt, & inchoata quidem rudimenta noſtræ recognitiones, experiendo utique aſſidue profecturæ. Quod ſi in ſuis quique regionibus animadvertentes jam minus reſiſtentem Lectori Plinium, fuerint anniſi cognitos ſibi ſitus ſolertius emendare, & vetuſtatis tenebris ex parte incognitis præſentium nominum lucem præferre, & more doctiſſimo tum Viros excellentiſſimos, tum res ampliter geſtas, quæ ex hiſtoriis majorum, quæ ex geſtis recentioribus, ſuis locis adjungere, ingens fiet illis gloria, legentibus utilitas mira, & voluptas impendio ſingularis. Juvare poteſt multis in locis hanc partem divini Vir ingenii, & facundiæ compoſitiſſimæ, Prædeceſſor tuus, Pius Pontifex Maximus, Aeneas Senenſis nomine, qui recto more Pontificum apud Romanos Gentiles adhuc Maximorum (qui ſoli maximos Annales ſcriptitabant) hiſtorica dignitate plurima ſcripſit elegantiſſime, ſimul atque doctiſſime. Poſſunt prodeſſe Præſules multi, immo vero omnes perdocti ſuarum Diœceſum loca deſignando. Europam certe longe melius maxima ſui parte, ac verius nos poſſumus, quam veteres omnes noſſe. Hæc ipſa tamen ego quoque, ſi vixero, pro mea virili

adhuc

adbuc ſum diligenter tractaturus. Sed eſt hoc quidem opus dierum multorum, hominumque doctiſſimorum, atque plurimorum. Menſuræ quidem, & fuere hactenus certæ, & erunt omni tempore inconſtantes rationibus innumerabilibus, quæ in promptu ſunt omnibus. Verum de Coſmographia hactenus. Cætera ſunt, ut ratione ad attingendum faciliora, ita propter rerum magnitudinem, pondus, varietatem prope infinita, dum a Cælo exorſus Plinius quicquid in cognitionem hominum ſcitu dignum ad ætatem ſuam venerat, quicquid opifex rerum Deus, & deinceps parens natura crearat, atque progenuerat, inexplicabili hoc, ingenioſiſſimoque Opere, nulla oratione unquam ſatis laudato, eſt complexus. In hac tamen tanta rerum ſumma illud eſt maxime animadverſu dignum, & ante omnia memorandum, diſcere quantum, quave in parte vita ex eo tempore ad noſtram profecerit tempeſtatem. Decrevit illa quidem, quod facile aſſenſerim, multis in rebus usque clariſſimis. Sed aucta eſt in digniſſimis pluribus, atque utiliſſimis, de quibus exempli gratia pauca ſubnectam. Navigatio ſparſum late orbem maxime omnium artium ſemper una conjunxit. Illa enim extrema Indorum Gadibus prope annexuit, & ab Æthiopibus ultimis ad Balthicum usque mare diſcurrit, miſcuitque res invicem ortas Cælo diverſiſſimo. Cæterum in navigandi arte quid habuit juſte hac in parte rudis vetuſtas cum poſteriorum inventis conferendum? Pyxis una magnete moderata plus habet commodi, quam omnis antiqua in contemplando navigatio. Res militaris nonne eſt evecta magnopere bombardis, pyxidibusque, & id genus multis, quæ a ſonitu ſclopetros, aut zarbatanas, aut aliter ruſtice appellant, excogitatis, quibus vix montes, nedum arma, murique poſſunt reſiſtere, etſi in hac parte ſcio multa veteres habuiſſe miri ingenii, & artificii immortalis. Mel cannæ, ſaccaria Galeno, dictum a nobis ſuccarum, vix veteres novere, cujus hodie tam multiplex, & numeroſa compoſitio eſt, ut ab ea parte ſuavitas deliciarum omnis ſit ad excolendam vitam induſtrie maxime introducta. Attingam ne cætera, quæ exquiſitiſſime Lapus Biragus multumque inveſtigavit, & ut puto redegit in volumen? Hujusmodi multa lectione erudimur Pliniana, dum quæri ab eo cernentes ſingula acerrime, & minutiſſime, permulta tamen habere nos experimur, quæ ille non paucis Voluminibus, ſi ſuis quoque fuiſſent temporibus orta, explicuiſſet. Sed age, quid in omnibus hominum

Digitized by Google

minum inventis tanti unquam fuit, ut cum Impreſſorum noſtrorum libraria arte digne conferri, & anteferri queat? Quam gloriam æternus Deus Tuæ potiſſimum felicitati tribuit, quod alio quoque loco ſcripſiſſe me meminì, ut, Te Pontifice Maximo, id Romæ ſplendoris, & utilitatis advexerit, unde ingenia, monumentaque ſapientum nulla unquam in mundi ſenectute peritura, unde futura omnis ætas ſit incredibiliter ſe ſe litterarum genere omni excultura. Quæ induſtria ſi fuiſſet apud veteres, profecto & Plinii noſtri excellentiſſima alia monumenta, & cæterorum cæleſtium hominum noſtra ætate non deſiderarentur. Equidem, PATER BEATISSIME, *Plinianam recognitionem ampliſſimo Domino meo temporali, Galiazsfortiæ Vicecomiti, Duci Mediolani inclytiſſimo, ſtatueram tua favente majeſtate delegare. Sed exiſtimavi aliquid me adhuc poſſe addere huic præſtantiſſimo Operi, quod ſit deinceps illi Principi plus præbiturum voluptatis. Quare in proximam additionem, recognitionemque hoc illi munus reſervavi. Tu, ſi vides me jam tantopere vigilaſſe, ut quod prope factu videbatur impoſſibile, jam aliqua ex parte ſit inchoatum (nunquam enim dicam perfectum) hanc meam voluntatem, conatumque,* MUNIFICENTISSIME PATER, *pro opere computa, & volentem, tamquam aſſecutum, quod tam enixe concupivi, gremio fove, juvaque auxilio. Tibi det Sancta Trinitas, Cælitesque omnes Chori, & primi omnium præſides Throni immortalis tui, Petrus, & Paulus, Apoſtolorum Principes, ut Te florentiſſimo, & fauſtiſſimo diutiſſime Pontifice, Chriſtianus Populus de orbe triumphet infidelium, & contumaciam debellet hæreticorum impietatis, quod ille impleat, qui eſt ſæpe benedictus in ſæcula Amen. Romæ Pontificatus tui feliciſſimi anno ſexto.*

Herenæus Lugdunenſis Epiſcopus, item Juſtinus ex Philoſopho Martyr, item cum Divo Hieronymo Euſebius Cæſarienſis, ſerio poſteritatem adjurarunt, ut eorum deſcripturi Opera, conferrent diligenter Exemplaria, & ſolerti ſtudio emendarent. Idem ego, ut in cæteris libris omnibus, tum maxime in Plinio, ut fiat, vehementer obſecro, obteſtor, atque adjuro, ne ad priora menda, & tenebras inextricabiles tanti ſudoris

opus

opus relabatur, inſtauratum aliquantulum ſub Romano Pontifice Maximo PAULO II. VENETO (*u*).

Quæ de Plinii Opere, ſuaque Editione ab Alerienſi in hac Epiſtola traduntur, haudquaquam a Plinii illuſtratoribus negligerentur oportebat. Quin luculentæ eorum Editiones majus ſibi pretium conciliaſſent ex ea ipſa Epiſtola, quam in earundem fronte recitandam cenſuiſſent. Ornarent profecto veteres hæ priorum Editorum Præfationes recentiorum illuſtres in ea ipſa ſparta excolenda conatus, & multa inſuper Lector dignoſceret, quæ paſſim ob magnam earum Præfationum raritatem ignorantur. Lucubrationes Lapi Biragi in Plinium, de quibus fidem facit Alerienſis in recitata Epiſtola, nec Harduino, nec aliis notæ fuiſſe comperiuntur. Satis autem notum Auctoris illius nomen, qui Plutarchi Vitas plures in Latinum ſermonem tranſtulit, quemadmodum & XI. Dionyſii Halicarnaſſei libros, quos PAULO II. dicavit. Hic eſt ille Lapus Florentinus, ſive Caſtilioneus, de quo nos ʃʃ. XIV. inſtituimus Part. 1. Diatr. Prælim. ad Epiſt. Franc. Barbari.

Sentes ab Alerienſi in Pliniana Editione relictos primum omnium extirpare conatum fuiſſe Hermolaum Barbarum, nec infelici omnino exitu, ſcribit Harduinus in Præfat. addens eidem tamen paſſim exprobrari, quod in ea cura ſæpe nimis conjecturæ, memoriæ etiam, pluſquam hominem decet, tribuerit, quo factum ſit, ut plurima ex iis, quæ caſtigavit, non errata illa ſint, ſed parum intellecta. Nemo tamen juſte inficiabitur, Hermolao Barbaro, plusquam reliquis omnibus, debere

(*u*) Referenda eſt hæc obteſtatio inter exorciſmos literarios, de quibus ſingularis LILIENTHALII obſervatio legitur Tom. I. Selectorum hiſtoricorum & literariorum, Regiomonti A. 1715. edito, p. 1. ſqq. conf. G. H. PIPPINGI Diſſ. de imprecationibus libris adſcriptis, Lipſiæ A. 1721. ventilata, & J. B. MENCKENII Programma de diris imprecationibus, quas libris, tabulis & monumentis addidere veteres, Diſſertationibus ejus literariis junctim a filio Frid. Ott. MENCKENIO Lipſiæ A. 1734. publicatis inſerto, p. 21. ſqq.

Digitized by Google

debere Plinium. Contra Harduiniana Editio ſuos & ipſa nacta eſt cenſores, qua de re Fabricius Bibl. Lat. ubi de Plinio.

Tandem (ut de hoc etiam Lectorem moneam) adnotatum ab Harduino reperio in ea Præfat. civitates ipſas nobiliſſimas, Brixienſem Joanni Taberio anno MCVIII. Salmanticenſem Pintiano, aliasque aliis, Plinii in publico Gymnaſio interpretandi provinciam impoſuiſſe, ſalario etiamnum largiſſime ex ærario perſoluto. De Cathedra Brixienſi Joanni Taberio, poſthabito Raphaele Regio, collata attulimus ipſi in teſtem de Brix. Literat. P. I. pag. 104. Marinum Becichemum in Prælect. ad Plin. at eam Cathedram ad Plinium interpretandum inſtitutam fuiſſe, compertum minime facit Becichemus.

M. FABIUS QUINTILIANUS.

§. XVII.

Romanam Quintiliani Inſtitutionum Editionem ab Alerienſi curatam, PAULOQUE II. nuncupatam, non omnium principem habendam eſſe, recte monet Fabricius in Bibl. Lat. ubi de Quintil. quum eam alia præceſſerit apud Ulricum Gallum anno 1468. adornata, hancque obſervat in Annalibus Typograph. Michaelem Maittaire omiſiſſe. An Fabricius Ulrici Editionem ob oculos habuerit, an ipſam alicubi exſtare certo compererit, ignoro; nec enim alios dicti ſui teſtes allegat, niſi Hiſtoriam Typographiæ anno 1689. Gallico ſermone Pariſiis vulgatam, & per elegantem Campani Præfationem, qua Quintilianum confert cum Cicerone. Non eum annum 1468. ſed annum 1470. Quintiliani Inſtitutionibus Romæ cum Præfatione Campani publicatis aſſignat Orlandus, monetque præterea in illius Editionis calce hanc notam legi: *Abſolutus Romæ in via Papæ prope S. Marcum anno ſalutis MCCCCLXX. die vero tertia menſis Auguſti* PAULO VENETO PAPA II. *florente*

anno

anno ejus VI. Idem Orlandus Operis ſui Part. II. Romanam Éditionem in Ædibus Maximorum anni nota carere ſcribit.

Horum omnium fides penes auctores. Ex Epiſtola Alerienſis, quam illico recitabo, certo conſtat, Quintiliani Editionem, a Campano curatam, Alerienſis illi præiviſſe. Hic etenim librum illum, minore quam cæteros labore, recognoviſſe ſcribit; *propterea quod* (ait) *ab homine ordinis noſtri excellenti ante traditus erat alteri talium opificum officinæ imprimendus, cujus etiam Epiſtolam in Volumine noſtro tranſtulimus, ut quid Vir doctiſſimus de Quintiliano ſenſerit ex noſtris quoque Codicibus intelligatur.* Ea Campani Præfatio exſtat in Alerienſis Editione, hujus Epiſtolæ ad PAULUM illico ſubjuncta, eademque pariter impreſſa reperitur in Volumine Operum Campani. At quum neutro loco anni notam præferat, nullum nobis argumentum præbet, Campani Editionem ſive anno 1468. quod facit Fabricius, ſive anno 1470. quod facit Orlandus, figendi. Alerienſis Editio certum annum ſuum demonſtrat, quum is eidem apponatur, ſicuti Impreſſorum nomina, & Maximorum Ædes innoteſcunt ex verſibus in calce Voluminis recitatis: *Aſpicis illuſtres &c.*

Joannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis ad PAULUM II. VENETUM PONT. MAX. *in Quintiliani recognitionem Epiſtola.*

Q*uintilianum*, PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONTIFEX MAXIME, *omnes merito diligunt. Nonnulli vero Ciceroni etiam ingeniorum, ac facundiæ fonti illi immortali conantur anteferre. Qua in aſſertione*, Magno ſe judice quisque tuetur. *Ipſe jam hunc artium dicendi Theſaurum, quam reliquos veteres: ſatis habuerim, ſi queam recte intelligere, & veneratione doctrinis debita obſervare, cantans cum altero Hiſpano ingenioſiſſimo quidem, atque elegantiſſimo, ac latinitatis maximo illuſtratore:*

Digitized by Google

Quintiliane vagæ moderator ſumme Juventæ:
Gloria Romanæ Quintiliane Togæ,
Vivere qui propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam, properat vivere nemo ſatis.

Hunc proximis calorum Urbis diebus mediocri cura recognovimus, minore ſane labore quam cæteros, propterea quod ab homine ordinis noſtri excellenti ante traditus erat alteri talium opificum officinæ imprimendus: cujus etiam Epiſtolam in Volumine noſtro tranſtulimus, ut quid Vir doctiſſimus de Quintiliano ſenſerit, ex noſtris quoque Codicibus intelligeretur; utque mihi, alioquin hoc tempore febrienti, aliquid de dictandi opera demeretur, qui facile præſentem quoque Epiſtolam addere noſtro operi ſuperſediſſem, niſi quod S. TUÆ *noſtra omnia jam inde ab initio conatus hujus audacioris munera conſecravi. Tu vive in æternum,* PONTIFEX SANCTISSIME, *Anno Dominici natalis M. CCCCLXX. Pont. vero tui Anno Septimo.*

Quamvis Campani Editionem Annales Typographici minime memorent, ut obſervatum diximus a Fabricio, non inde tamen quis arguat eorum Auctorem latuiſſe Campani in Quintilianum Præfationem, qua contra ita captum ſe profitetur Maittaire, ut aliquam ejus partem non potuerit Lectori invidere. Eam itaque recitat in utraque Editione, at cum hoc diſcrimine, quod in priore Præfatio, ſeu Epiſtola Campani ſcripta dicitur Antonio Moretto, in poſteriore vero Cardinali Senenſi. Antonii Moretti, Brixiani Typographi, nomen & labores literarios pluribus locis commendavimus in lib. de Brixian. Literat. Ibidem tamen pag. 155. P. II. haud diſſimulandam putavimus notam fraudis, qua Epiſtolam Nicolai Peroti in Plinii Hiſtoriar. Prooem. in Veneta, quam ipſe adornavit, Editione, veluti ſibi ſcriptam publicaverit, quam tamen non Moretto, ſed Franciſco Guarnerio miſſam accuratiores Cornucopiæ Editiones, in quibus ea Epiſtola recitatur, palam demonſtrant; & multo adhuc clarius, quod poſita in ea Epiſtola pluribus locis, *Mi Antoni*, compellatio fraudis palam redarguatur ob aliam, *Mi Franciſce*, quæ ex impreſſorum, ſeu Editoris ipſius oſcitantia uno loco dolo-

ſam

Digitized by Google

ſam illam immutationem evaſit. Dolum in Campani Epiſtola admiſſum æque certum reddit Alerienſis Editio, quæ eandem tranſcripſit cum hac inſcriptione: *Campanus Franciſco Picolomineo Cardinali Senenſi meo ſalutem.* Deinde priora ejusdem Epiſtolæ verba: *Utinam quod nuper in Livio Papienſis noſtri juſſu conatus ſum facere, ut eſſet quam emendatiſſimus, idem nunc hortatu tuo, & in Quintiliano licuiſſet,* potius quam impreſſoriæ artis opifici, Eccleſiæ Principi conveniunt.

Editionem Venetam earundem Inſtitutionum anno 1471. per Nicolaum Jenſon videri forſan innuere Romanam Alerienſis, quæ anno ſuperiore prodierat, ſuſpicatur Maittaire, quod in illa Omnibonus Leonicenus in Epiſtola ad Moyſen de Buſarellis, Epiſcopum Belumnenſem, ſic conqueratur: *qui tertio ante anno librum ipſum Auditoribus noſtris exponere aggreſſus, ita vitiatum repereram &c.* Hæc tamen verba, quum ſat apte referri poſſint ad Codicem aliquem manuſcriptum, quo in Scholis Omnibonus uteretur, anni proxime ſuperioris Editionem vix, aut ne vix quidem deſignare valent.

De Quintiliani Inſtitutionum Codice e Germania a Poggio in Italiam avecto (*x*) diximus Cap. I. §. I. Part. 1. Diatr. ad Franc. Barb.

(*x*) Ex inſtituto quoque de Quintiliano aliisque priſcis auctoribus, plenis ſitu & pulvere, a Franciſco POGGIO in Monaſterio Sangallenſi tempore Concilii Conſtantienſis feliciter inventis, egit Jo. Gottlieb KRAUSIUS in accurata ſua quorundam librorum hiſtoria (*Umſtändlicher Bücher-Hiſtorie*) Part. I. p. 15. ſqq. exhibens p. 40. ſqq. integram POGGII epiſtolam, inde a FABRICIO in Biblioth. Latin. Vol. II. p. 676. ſqq. repetitam, qua auſpicatum illum eventum enarrat, in Codice Lipſienſi GUARINO Veronenſi, in Bergomenſi autem, quem ad manus habuit Eminentiſſimus Cardinalis noſter, & Mediolanenſi, Joanni TORTELLIO Aretino inſcriptam, e qua locum, huc præcipue ſpectantem, decerpere viſum eſt. Ita autem ille inter reliqua: „Quia temere perſæpe eveniunt, quæ non audeas optare, ut inquit Terentius noſter, fortuna quædam fuit cum „ſua,

Barb. Epiſtol. De centum XXXVI. Declamationibus, quæ Quintiliani nomine feruntur, iisque pariter e Germania in Italiam miſſis, exſtat

„ſua, (i.e. Quintiliani) tum maxime noſtra, ut, cum eſſemus Con-
„ſtantiæ otioſi, cupido inceſſerit viſendi ejus loci, quo ille recluſus
„tenebatur. Eſt autem monaſterium S. Galli prope urbem hanc
„millia paſſuum XX. Itaque nonnulli animi laxandi, & ſimul per-
„quirendorum librorum, quorum magnus numerus eſſe dicebatur,
„gratia eo perreximus. Ibi inter confertiſſimam librorum copiam,
„quos longum eſſet recenſere, Quintilianum comperimus, adhuc
„ſalvum & incolumem, plenum tamen ſitu, & pulvere ſqualentem.
„Erant enim non in bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas poſtu-
„labat, ſed in teterrimo quodam & obſcuro carcere, fundo ſcilicet
„unius turris, quo nec capitales quidem rei retruderentur. Atqui
„ego pro certo exiſtimo, ſi eſſent, qui hæc barbarorum ergaſtula,
„quibus hos detinent viros, rimarentur ac cognoſcerent more ma-
„jorum, ſimilem fortunam experturos in multis, de quibus jam eſt
„conclamatum. Reperimus præterea libros tres primos & dimidi-
„atum quarti C. Valerii Flacci Argonauticôn, & expoſitiones tan-
„quam thema quoddam ſuper octo Ciceronis Orationibus Q. As-
„conii Pediani, eloquentiſſimi viri, de quibus ipſe meminit Quin-
„tilianus. Hæc mea manu tranſcripſi, & quidem velociter, ut ea
„mitterem ad Leonardum Aretinum & Nicolaum Florentinum.

Hic nulla quidem mentio fit Silii Italici aliorumque auctorum, qui poſthac reperti ab eodem fuiſſe videntur. Commemorantur autem illi in epiſtola ad POGGIUM data, quam Codex Lipſienſis GUARINO Veronenſi, Codex autem V. Cl. Jacobi FACCIOLATI Franciſco BARBARO rectius tribuit. Primum igitur jure locum occupat inter epiſtolas ejus & aliorum ad ipſum ab Eminentiſſ. QUIRINO Brixiæ A. MDCCXLIII. evulgatas. In Diatriba vero præliminari, quæ ibidem A. MDCCXLI. prodiit, p. XII. ſq. evictum eſſe arbitror, ipſius POGGII epiſtolam non ad GUARINUM, nec ad Jo. TORTELLIUM Aretinum, verum ad BARBARUM potius ſcriptam fuiſſe. Sed en tibi verba ex BARBARI ad POGGIUM literis, in quibus Silii Italici aliorumque mentio habetur:
„Tu Reipublicæ cauſa quid facturus eſſes facile declaraſti; cum te
„non

exſtat Epiſtola Joannis Antonii Campani, prima ſcilicet earum. quæ ejuſdem in varios Authores cenſuras complectuntur.

„ non vis hyemis, non nives, non longitudo itineris, non aſperi-
„ tas viarum, ut monumenta literarum e tenebris in lucem erueres,
„ retardarunt. Tu Tertullianum, tu Marcum Fabium Quintilia-
„ num, tu Q. Aſconium Pedianum, tu Lucretium, Silium Itali-
„ cum, Marcellinum, tu Manilium Aſtronomum, L. Septim. Va-
„ lerium Flaccum, tu Caprum, Eutychium Probum, Grammaticos,
„ tu complures alios, Bartholomæo Collega tuo adjutore, vel fato
„ functos vita donaſtis, vel longo, ut ajunt, poſtliminio in Latium
„ reduxiſtis. De Bartholomæo illo de Monte Politiano, in ea perquiſitione POGGII ſocio & adjutore, in laudata Diatriba p. V. ſq. nonnulla dicuntur. Fuit & præterea CINCIUS quidam Romanus cognomine RUSTICUS, peregrinationis illius Poggianæ Comes, cujus, inter claros pontificiarum epiſtolarum Scriptores a Philippo BONAMICO p. 172. ſq. laudati, memorabilem epiſtolam, in qua vetuſti quidam auctores tum etiam inventi, ac POGGIO BARBAROQUE indicti recenſentur, ex Cod. MS. Bergomenſi l. c. p. VIII. ſqq. Cardinalis primus publicavit. Rei jucunditate illectus non poſſum non ex illa locum, etſi longiuſculum, hic recitare.
„ In Germania multa monaſteria ſunt bibliothecis librorum Latino-
„ rum referta: quæ res ſpem mihi attulit, aliquos librorum Cicero-
„ nis, Varronis, Livii, aliorumque doctiſſimorum Virorum, qui ex-
„ tincti penitus eſſe videntur, in lucem venturos, ſi accurata inve-
„ ſtigatio adhiberetur. Nam cum his proximis diebus ex compo-
„ ſito, fama bibliothecæ allecti, una cum Poggio, atque Bartholo-
„ mæo Montepulciano ad oppidum S. Galli deveniſſemus, Biblio-
„ thecam ingreſſi Jaſonis Argonauticon a C. Valerio Flacco editum
„ carminibus luculentis atque gravibus a majeſtate metrica minime
„ abhorrentibus invenimus: deinde argumenta quædam ſoluta ora-
„ tione confecta ſuper aliquot Ciceronis Orationibus, ex quibus
„ multi cauſarum ritus, multæque veteris inſtituti paritates aperte
„ cognoſci poſſunt. Repertus eſt etiam liber quidam volumine par-
„ vus, magnitudine autem eloquentiæ, prudentiæque excellentiſſi-
„ mus, Lactantius ſcilicet de utroque homine, ubi plane refellit
„ ſenſa eorum, qui humanam conditionem belluarum ſtatu humilio-

„ rem,

SUETONIUS TRANQUILLUS.

§. XVIII.

Quam immerito Bernardus Montfauconus pro omnium principe venditet Suetonii Editionem Mediolani an. 1475. per Philippum de Lavagnia perfectam, oſtendunt quatuor ea vetuſtiores, quas modo allega-

„rem, dejectioremque eſſe aſſeverant. Inter quos Vitruvius de „Architectura, atque Priſcianus Grammaticus quædam Virgilii „carmina commentans inventi ſunt. Erat præterea in illa biblio„theca liber quidam ex corticibus arborum: qui cortices Latino „ſermone libri vocantur, unde, quemadmodum apud Hierony„mum eſt, libri ſuum nomen adepti ſunt. Is quanquam non ad„modum bonarum ſcripturarum refertus plenusque eſſet, tamen „propter illam ſanctam incorruptamque vetuſtatem ſumma cum de„votione complexus ſum. Horum quidem omnium librorum ex„empla habemus; ſed ubi turrim ſacræ ædis S. Galli contiguam, in „qua innumerabile libri, utpote captivi, detinentur, diligentius „vidimus, Bibliothecamque illam pulvere, tineis, fuligine, cæte„risque rebus ad oblitterationem librorum pertinentibus, obſole„tam pollutamque, vehementer collacrimavimus, per hunc mo„dum putantes linguam Latinam maximum ornatum, maximam„que dignitatem perdidiſſe. Erravit igitur Paulus JOVIUS, multosque eruditos in eundem errorem induxit, in Elogiis virorum illuſtrium Quintilianum a POGGIO in ſalſamentarii taberna repertum venditans. Craſſius erravit Jo. LOMEJERUS in libro ſingulari de Bibliothecis Cap. IX. p. 169. Collect. Schmid. POGGIUM Fabium Quintilianum ſub tempus Conſtantiaci conventus ex Gallia Romam deportaſſe, eumque ignotum, ſqualidum, tetroque pedore carceris conſumtum, in ſalſamentarii taberna repertum, in apertum retuliſſe perhibens, adeoque Sueviæ civitatem Conſtantiam cum urbe Gallica, in Normania ſita, celeberrimum Concilium Conſtantienſe cum conventu quodam Gallorum Conſtantiaco, ac monaſterium Sangallenſe cum ipſa Gallia turpiter confundens, quod

KRAU-

Digitized by Google

allegamus. Romana an. 1470. per Svveinheim, & Pannartz cum Epiſtola Alerienſis, Romana altera ejusdem anni cum Epiſtola Campani, Veneta an. 1471 per Nicolaum Jenſon, tandem Romana alia an. 1472. per Germanos illos Typographos. En Alerienſis Epiſtola.

Joannis Epiſcopi Alerienſis in Recognitionem Suetonii ad PAULUM II. VENETUM PONTIFICEM MAXIMUM *Epiſtola.*

R*ecognito his diebus Quintiliano*, PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONTIFEX MAXIME, *Artifices noſtri detulerunt ad me exquiſitæ cognitionis Virum C. Suetonium Tranquillum, ut illius etiam de Imperatoribus Vitas recenſerem ab iisdem Opificibus, & eodem Authore impreſſas, qui prius Quintilianum publicarant. Volui experiri, ſi qua de Suetonio poſſem compendiaria lectione perquirere, repperique Suetonium Lenem Auguſticlavium tertiæ decimæ Legionis Tribunum, Virum acris animi, induſtriaque ſingularis, Tranquilli bujus noſtri patrem fuiſſe; eum vero Epiſtolarum magiſtrum Imperatoris Hadriani, abque ejus aula ob certas ſuſpiciones amotum. Illuſtrium quoque Virorum Vitas præter has*

KRAUSIUS l. c. p. 26. ipſi merito exprobravit. Cæterum epiſtola PETRARCHÆ ad Quintilianum, cujus libri temporis injuria dilacerati in illius manum venerant, ad quam P. BÆLIUS provocavit, quamque laudatus KRAUSIUS in omnibus operum PETRARCHÆ editionibus ſe fruſtra quæſiviſſe p. 31. ait, in rara collectione ejus Epiſtolarum, quam Petrus Roverianus A. 1601. in 8. excudit, exſtat p. 672. ſqq. De fauſta illa POGGII expeditione egit quoque Ægidius Menagius in *Anti-Baillet ou Critique du Livre de M. BAILLET, intitulé Jugemens des Savans*, Part. I. p. 43. ſqq. edit. Amſtelod. A. 1725. in 12. Ex Bernhardi de la MONNOYE animadverſionibus in illum librum p. 48. cognovi, M. A. SABELLICUM in Dialogo de reparatione Latinæ linguæ jam ante LOMEJERUM venditaſſe, Quintilianum ſub tempus Conſtantiaci conventus a POGGIO ex Gallia Romam deportatum, atque adeo hunc ab illo in iſtum errorem inductum eſſe.

Digitized by Google

has Cæſarum plurimas ſcriptitaſſe, cauſas etiam egiſſe. Audivi equidem, qui dicerent, libellum de Viris Illuſtribus illius exſtare. Quod ipſe noverim, de Rhetoribus, & Grammaticis libellus ejus vulgo legitur, dignus facile Suetonio. Brevis eſt in omnibus, & in attingendis, magisque in explicandis negotiis expoſitus. Dictionis, more temporum ſuorum, caſtigatioris, propterea que alicubi minus apertæ, verbis utens perſæpe vel novis, vel novatis, Græcanicisque. Ita tamen concinnus, atque elegans, ut, qui poſt eum Vitas ſcripſere, aliquantum videantur ab illius venuſtate differe. Hæc habenti mihi, quæ ſummatim de Suetonio referrem, poſtea viſum eſt verſus quosdam Auſonii poetæ in ipſius commendationem adſcribere, titulosque ipſis verſibus per partes inſerere.

SUETONII OPERIS COMMENDATIO.

Cæſareos Proceres, in quorum regna ſecundis
Conſulibus dudum Romana potentia ceſſit,
Accipe biſſenos, ſua quamque Monoſticha ſignant.
Quorum per plenam ſeriem Suetonius olim
Nomina, res geſtas, vitamque, obitumque peregit.

CÆSARUM ORDO.

Primus regalem patefecit Julius Aulam
Cæſar, & Auguſto nomen tranſcripſit, & arcem.
Privignus poſt hunc regnat Nero Claudius, a quo
Cajus, cognomen Caligæ cui Caſtra dederunt.
Claudius hinc potitus regno, poſt quem Nero Sævus,
Ultimus Æneadum; poſt hunc tres, nec tribus annis.
Galba Senex fruſtra Socio confiſus inerti.
Mollis Otho infamis per luxum degener ævi.
Nec regno dignus, nec morte Vitellius ut vir.

His

Digitized by Google

His decimus, fatoque accitus Veſpaſianus.
Et Titus Imperii felix brevitate, ſecutus
Frater, quem calvum dixit ſua Roma Neronem.

CÆSARUM TEMPORA.

Julius, ut perhibent, divus trieteride regnat.
Auguſtus poſt luſtra decem ſex prorogat annos:
Et ter ſeptenis geminos Nero Claudius addit.
Tertia finit hyems craſſantia tempora Caji.
Claudius Hebdoadem duplicem trahit, & Nero dirus
Tantundem ſumma, ſed conſul defuit unus.
Galba ſenex: Otho laſcive, & formoſe Vitelli,
Tertia vos Latio regnantes neſciit æſtas,
Interitus dignos vita properante probroſa.
Implet fatalem decadem ſibi Veſpaſianus.
Oſtenſus terris Titus eſt brevitate bienni.
Quindecies ſævis potitur dum frater habenis.

CÆSARUM OBITUS.

Exegit pœnas de Cæſare Curia mollis.
Addidit Auguſtum divis matura ſenectus.
Sera Senex campis exul non fata peregit.
Terdecies periit repetito vulnere Cajus.
Claudius ambigua concluſit fata veneno.
Matricida Nero proprio ſe perculit enſe.
Galba ſenex periit ſævo proſtratus Othone.
Mox Otho famoſus clara ſed morte potitur.

Digitized by Google

Prodiga ſuccedunt perimendi Sceptra Vitelli.
Laudatum Imperium, mors lenis Veſpaſiano.
At Titus orbis amor rapitur florentibus annis.
Sera gravem perimunt, ſed juſta pericula fratrem.

Tibi, PATER BEATISSIME, *omnes vitam optant, & felicitatem diutiſſimam. Dominici Natalis* MCCCCLXX. *Pontificatus vero tui Anno* VII.

Epiſtola autem, quam ſuæ Editioni præpoſuit Campanus, & ipſa, utpote brevior, ſubjungatur.

Campanus Franciſco Picolomineo Cardinali Senenſi ſalutem.

Repetii nuper C. Suetonium. Legeram & hunc etiam puer. Verum quod tunc vix deguſtatum eſt, nunc pleniſſime hauſi. Viſus eſt ea libertate ſcripſiſſe Cæſarum Vitas, qua vixiſſe illi feruntur. Nemini aut demit, aut adjicit quicquam, nihil ad aſſentationem cujuſpiam, aut ſtudium ſuum, omnia ad integritatem hiſtoriæ refert. Mores illorum, & imperia, & privatorum ſic exprimit, ut non legere quis Suetonii ſcripta, ſed ii ipſi ſpeculo intueri ſeſe videantur. Vitia, virtuteſque omnino curat, & invidiam, & gratiam aperit, & quæ fortuna foris cuique fuerit, aut domi. Habitus eſt duriuſculus, dum nec lumina quidem negligit, & ſunt aridiora pleraque, & minutiora, quam quæ nitere poſſint, aut capere eloquentiæ corpus. Sed tum eſt in genere ipſo ſcribendi multum ponderis, eruditio vero tanta, ut ſeveritate orationis gravi, & caſtigata, quem huic anteponam veterum Scriptorum, non videam. Habebis, cum hunc leges, unde ſumere exempla in omni fortuna poſſis, & intelligere, quantum Principum humanæ res conſtant, vitiis labuntur. Vale.

In ea Campani Editione legitur hæc nota: *Caji Suetonii Tranquilli de XII. Cæſarum Vitis liber ultimus feliciter finit. Abſolutus Romæ in Pinea regione via Papæ anno Chriſti Natali MCCCCLXX. Sextili menſe.*

Digitized by Google

menſe. PAULI *autem* VENETI II. PONT. MAX. *anno ſexto.* Nomen Impreſſoris, quod hoc loco deſideratur, jam ſatis notum, Ulricus ſcilicet Gallus, quem Campanus elegerat potiſſimum, cujus curæ ſuas committeret lucubrationes, cujusque laudes cecinit verſibus §. 11. recitatis: *Anſer Tarpei cuſtos Jovis &c.*

AULUS GELLIUS.

§. XIX.

Jacobus Gronovius in luculenta Editione Auli Gellii, quam anno 1706. adornavit, dicata Abbati eo tempore illuſtriſſimo, & doctiſſimo, Dominico Paſſioneo, nunc vero S. R. E. Cardinali ampliſſimo, illico poſt Præfationem exhibens conſpectum operæ a Viris doctis ei Auctori impenſæ, memorat quidem Romanam anno 1469. Editionem, & Venetam anno 1472. at de utravis dubitare ſe ſcribit, ſed maxime de priore, primamque Editionem putat a Svveinheim, & Pannartz an. 1472. perfectam. Neque de Romana anno 1469. neque de Veneta anno 1472. ullo modo dubitandum, quum utraque exſtet; indeque certo dignoſcatur, Romanæ illi anno 1472. locum principem perperam adjudicari. Gronovio in eum modum temere loquenti præiverat Petrus Lambecius in Prodrom. ad Aul. Gell. Noct. Attic. Multoque magis hic a recta ſemita aberravit, dum Romanam illam anni 1469. Editionem ab Aldo Manutio curatam ſcribit, quam proinde Aldinam vocat. Tam fœda hallucinatio jure, ac merito in admirationem pertraxit Annalium Typographicorum parentem, quo loco Venetam illam anni 1472. per Nicolaum Jenſon memoravit. Joannem Andream Epiſcopum Alerienſem, cui princeps illa anni 1469. Editio debetur, in Aldum Manutium, neſcio quo pacto, Lambecius, & alii quidam commutarunt, idque recte animadvertit Fabricius in Bibl. Lat. ubi de

 Gellio.

Digitized by Google

Gellio. At is ipſe mox labitur, dum Venetam Editionem primam ex Aedibus Petri de Maximis anno 1472. lucem vidiſſe ſcribit; quum Aedes Maximorum Romæ fuerint, non Venetiis, quumque Venetiis Editio illa lucem viderit ſtudio Nicolai Jenſon, quam ipſam penes ſe eſſe Euſebius Renaudotus ipſi Fabricio ſignificaverat.

Quinam fuerint Alerienſis in Gellium labores, non aliunde melius, quam ex ejus Epiſtola mox recitanda dignoſcetur. Ea pariter declarabit primum opem a Theodoro Gaza ipſi Alerienſi latam, ut Gellii Græca Latine legerentur; deinde Guillelmi de Eſtoutavilla, Epiſcopi Cardinalis Oſtienſis, Rothomagenſis nuncupati, patrocinium, & propenſam adeo erga Alerienſem voluntatem, ut ſemel vel centum aureos, quot Alerienſis neceſſitates poſcebant, mutuo ei numerari juſſerit, cui proinde grati animi vices, quas licebat, ipſe redditurus, conſilium inierit, quod his verbis exponit: *Hoc impulſus ſtudio ſciens elegantiſſimum Scriptorem Gelium, Favorinum in Galliis ortum merito prædicare, quippe qui ſua ætate princeps in omni excellentiæ genere ſummorum Virorum fuerit, & Hadriano Imperatori illi doctiſſimo, & glorioſiſſimo acceptiſſimus, ſtatui digniſſimo etiam Cardinali Rothomagenſi præſtare, ut Favorinus ſuus, Vir tantus, ab omnibus facilius quodammodo Gelio laudatore noſceretur.* Declarabit demum eximiam PAULI beneficentiam erga eundem Alerienſem, qui propterea fatetur, ipſo ad excelſum Pontificatus gradum aſſumpto, omnem ſe ſub uberrimo gratiarum largitore dedidiciſſe egeſtatem, eoque authore ab Accienſi Eccleſia ad Alerienſem fuiſſe translatum, hancque poſtea cum Sabacienſi (quæ Savonenſis dicitur) ſibi commutatam. Hæc, inquam, omnia Epiſtola, quam illico recitamus, aperiet.

Johannis Andreæ Epiſcopi Alerienſis, in Auli Gelii Noctium Atticarum Recognitionem ad PAULUM II. VENETUM PONTIFICEM MAXIMUM *Epiſtola feliciſſime incipit.*

C*lariſſimum inter Latinos Authores eſſe Au. Gelium,* PATER BEATISSIME PAULE II. VENETE PONT. MAX., *nemo hominum doctiorum*

doctiorum ullo tempore inficias ivit, & maximis Scriptoribus annumerandum. Quidam vero aſſeruere, tanto ceteris Gelium claritudine, atque amœnitate ingenii præſtare, quanto reliqui uno aliquo dicendi genere; hic autem omnibus latinitatis numeris, figuriſque excellat. Quandoquidem cæteri una aliqua propria, & ſua ſint uſi dictione, Aulus omnem eleganter, & caſte ſcribendi formulam expreſſerit. In aliis item haud ita multa, & omnimoda rerum vel tractatio, vel cognitio. At in Gelio noſtro vix queat ſcitu dignum quippiam inveniri, de quo pars ab eo aliqua non tractetur. Præterea cæteri Authores aliis alii ætatibus, facultatibusque ſint accommodati. Aulus nulli etati, nulli diſciplinæ non cenſeatur opportunus. Denique in reliquorum pleriſque ſint quæpiam aliqua ratione minus penſiculata. In Gelio autem vix unum verbum nota dignum perpendatur. His, atque hujuſcemodi rationibus latinæ puritatis ſtudioſi vix ſibi quicquam attigiſſe, vel mediocriter, videbantur, ſi lectione Geliana caruiſſent. Erat perdifficilis tamen, duraque in primis provincia, Aulum perpetuo lectitare: quod vix Noctium ejus ulla erat (ita enim vir ille ſuarum Capita ſcriptionum appellat) quæ ſic legeretur, ut non aliqua, & perſæpe magna pars ejus inaſſequuta, minuſque percepta linqueretur. Nam & multa Latina erant librariorum inſcitia, negligentia, ſocordia, depravata, & multo plura Greca, propter linguæ deſuetudinem, corrupta, trunca, manca. Ea quoque ipſa, quæ integra exſtabant, a Latinorum tamen perpaucis, propter Græcitatis inſcientiam, intelligebantur. Qua ex re fiebat, ut Noctium pleræque incognitæ, ex meliore ſui parte prope omnibus forent. Temptavere igitur quidam, utriuſque linguæ non expertes, hanc Latinis gemmam, hunc, ut vere dixerim, unionem detergere, atqte perpolire, & omni ſui parte lucentem, ac nitidum reddere. Qui aut rei difficultate, aut aliis occupationibus diſtracti (quod quidem ſciam) ab opere ſuſcepto deſtiterunt. Quod ipſi idcirco ſane minime dicimus, ut videri velle cenſeamur, ex loci eorum ſucceſſione, quaſi fidentioris animi, viriumque majorum expreſſu, famæ auram aucupari, in Sanctiſſimo conſpectu Majeſtatis Tuæ, PATER BEATISSIME, *præſertim, qui modeſtiæ flagitator, omnium hominum non vulgarium laudes, obloquutionis adverſarius, cupis ſemper audire. Hæc ego cum intelligerem reique metirer magnitudinem, quantulum in me eſſet liquido cernens, (etſi*

nobis omnes, neſcio quo errore pervulgato, placeamus) temptavi & ipſe, nunquid opis lectioni futura usqueadeo utili, ac jucunda, ex paupertinis virilis mea poſſet afferri, confiſus præcipue de ſumma eruditione, & benevolentia mei Theodori Gazæ, qui non in una aliqua ſeorſum facultate, ſed in omnibus generatim animi ingenui diſciplinis eſt doctiſſimus. Theodoro igitur opitulante, multa, ut arbitror, Latina feci veriora, & ut Græca Latine legerentur, conſequutus ſum. Qua de parte ratio mihi, Te auguſtiſſimo, & integerrimo cenſore, ſuo loco eſt in preſenti Epiſtola explicanda, ut tuo munitus & judicio, & præſidio, cæteros habeam, qui recte ſenſerint, adjutores. Sin vero aliqui carpſerint, facile floccifaciam. Ea potiſſimum occaſione, qua in nonnullis hujus temporis Recognitionum mearum Epiſtolis id dedita opera ſcripſi, haud me mihi eo usque tribuere, ut aberrare ſæpe poſſe non exiſtimem; ſed doctiores hoc exemplo, & munere provocare, ut qui pluſculum poſſunt, ſua me, ac cæteros tenujores, inſtituant diſciplina; boni grato animo conſulturus, quidquid eorum opera ipſe didicerim. Hac enim mens mihi eſt, hoc unum imprimis ſtudium, ut, quod fieri poſſit, omnes homines Latinos me quoque ipſo eſſe optem doctiores. Nunc qua de cauſa Gelianam Recognitionem deſumpſerim, propter ea etiam, quæ prius dixeram, explicabo; viam etiam, quam in ea re inceſſerim, ſcire volentibus oſtendam, ut facilius noſcatur, nunquid in hoc opere dignum videatur vel laude vel vituperatione. Simul tuo permiſſu, PATER BEATISSIME, *veteri cuidam non æris alieni, ſed vitæ & officii debito, ex tenui portione ſatisfaciam, neque magnopere dicendi ordinem ſequar, dum valeam modo, quod ſuſcepi, perſolvere. Jamdudum,* PATER BEATISSIME, *ſplendidiſſimo Præſuli Guillielmo Epiſcopo Cardinali Oſtienſi, Rotomagenſi nuncupato, ex regio Francorum genere Viro illuſtri, cultu tamen rerum divinarum, & amplitudine religionis, ac magnificentia pietatis longe illuſtriori, maxima omnia debere me ſcio, ejusque in me ſummis meritis nunquam poſſe ſatisfacere. Non debui tamen voluntatis gratæ non exprimere promptitudinem, & qua id maxime vellem, quod minime poſſem, non teſtari. Nam de univerſi ſacroſancti Collegii immortali in me beneficio, Tibi,* PATER SANCTE, *notiſſimo, aliud aliquando tempus erit prædicandi. Guillelmi equidem Rotomagenſis tantus debitor aſſidue cogitabam,*

tabam, quid homini clariſſimo acceptum referrem, quod illo dignum foret, & ipſe poſſem diſſolvere. Venit itaque mihi in mentem id maximis Viris placuiſſe admodum ſemper, ſi non ſolum ipſi ſplendidiſſimi, verum etiam de gente ampliſſima nati eſſe noſcerentur. Id autem omni in natione dignitatis numeros ſemper impleviſſe, quod divinarum pre ſe ſpecimen virtutum ferret. Igitur ſi in Francorum gente nobiliſſima, generoſiſſimaque primarias etiam animi dotes fuiſſe retro actis temporibus oſtendiſſem, id maximo huic Viro gratiſſimum fore arbitrabar. Hoc impulſus ſtudio ſciens elegantiſſimum Scriptorum Gelium ſupra omnes homines Favorinum in Galliis ortum merito prædicare, quippe qui ſua ætate princeps in omni exellentiæ genere Virorum ſummorum fuerit, & Hadriano Imperatori illi doctiſſimo, & glorioſiſſimo acceptiſſimus, ſtatui digniſſimo etiam Cardinali Rotomagenſi præſtare, ut Favorinus ſuus, Vir tantus, ab omnibus facilius quodammodo Gelio laudatore noſceretur. Deterrebar ſane difficultatibus illis, quas initio dixi, quæ quaſi de inextricabilibus nodis, & tanquam Gordiani jugi implicamentis inenodabilibus mihi plurima eſſent evolvenda, cui Alexandri vel fortuna, vel gladius non adeſſet. Sed rei perpenſa licet magnitudine, non minus alia ex parte recreabar, qua non abſque excuſatione ſuſcepti graviſſimi operis difficultates, & calumnias evaſurum me cernebam, quaque una cum Tua Sanctitate Rotomagenſi tuo, vel hoc conatu ſolo maxime me gratificaturum perſpiciebam. Cum enim & quod iterum, atque iterum teſtor, maxima omnia deberem, indignum fuiſſet in alio, quam laboris, & ingenii pleniſſimo opere, ejus cauſa contendere. Cæterum debiti magnitudo ea ratione facillime perſpicietur, ſi radices tantum, & incrementa illius delibaro. Quod ob eam rem facere me debere nemo dubitabit, quia, ut qui beneficium præſtitit, non debet odioſe, quaſi exprobrando, commemorare, ita qui accipit, deſiſtere nuſquam debet prædicare. Fui, PATER BEATISSIME, *quod multis accidere perſæpe arbitror, in Romana Tuæ Sanctitatis Curia, tenui adeo rerum omnium conditione (ut cætera omittam) quod ne ad tondendam quidem barbam ſumptus mihi, facultaſve ſuppeteret. Moleſtiis admodum inopiæ angebar anguſtiis, eo magis quod eorum more, qui Lupum auribus tenent, neque ferre poteram, neque deponere paupertatem. Perſeverare igitur diutius nequibam, & diſcedere in rerum omnium penuria non valebam.*

Igno-

Digitized by Google

Ignoſcebant illi quidem mihi, quibus ex parte nota erat mea calamitas, nemo tamen ultra verba ſuccurrebat. Ea vero ſumma difficultas erat in miſeria reliquorum, quod illa pudor cogebat occultare, quæ neceſſitas ipſa, me quoque renitente, prædicabat. Sæpius ergo cogitanti mihi, quænam foret in hujusmodi mendicitatis articulo ſubſidiaria ſalus imploranda, ergo oblatus eſt animo Viri ſplendor ampliſſimi, de quo juſte Horatianum illud cani poteſt, Micat in omnes Gallicum ſydus, velut in ſtellas luna minores, *qui numquam manum clauſit inopi, numquam oratus, triſtem remiſit ſupplicantem. Perſpecta mihi erat omnium ore Viri illuſtris celebrata clementia, atque liberalitas, & actorum gloriæ nitor ſingularis. Accedo ad clariſſimum hominem pudibundus, atque humaniſſimum, qui maximus dignitatis merito, major eſt tamen benignitatis ornatu. Vix oſtenderam mearum neceſſitatum initia, & vir miſericordiarum ſtatim :* Eſto (*inquit*) animo præſenti : Ne tibi quidem claudentur meæ facultates. *Factum illico putavi. Neque mea me fefellit opinio. Centum e veſtigio aureos (tot enim meæ neceſſitates tunc poſcebant) mihi fecit mutuo, ut velle me dixeram, numerari, imo vero juſte æſtimanti, dono liberaliter tradi. Diu enim licuit mihi eſſe ſub placidiſſimo creditore, donec absque omni omnino difficultate æs diſſolverem alienum. Pecuniam ergo illi reddidi tandem, verum tamen gratiam, quæ omni pecunia longe major eſt, æternum debebo. Hoc tanto, tamque excellenti ſum ego minimus omnium a Præſulum maximo adjutus beneficio. Emit me, bonorum munificus benefactor, homo regius, atque excellentiſſimus, incredibili munere liberalitatis. Nec eo contentus Cardinalis beneficentiſſimus, quum primum,* PATER BEATISSIME, *Tua me Sanctitas ad Eccleſiam Alerienſem ab Accienſi tranſtulit, mihi denuo aperuit gremium ſuæ benignitatis, fecitque (quantum in illo fuit) meis omnibus neceſſitatibus ſatis. Sed animo uſus liberaliſſimo, ejus eo tempore pecunias non accepi, quia ex quo Tua Clementiſſima Sanctitas ad altiſſimum Pontificatus gradum eſt aſſumpta, omnem penitus tanquam ſub uberrimo gratiarum largitore dedidici egeſtatem. Verum enimvero neque Tu mei,* PATER SANCTISSIME, *illo tempore paupertatis in ſolo jacentis, minor adhuc non animo, ſed altiſſimæ dignitatis majeſtate obliviſcebaris, veluti piiſſimus Pater, ſervuli ſtudioſi. Nam (quod tacendum hoc loco non eſt) Tu quidem eo* tempo-

Digitized by Google

tempore perlato ad Te, neſcio quo rumore, de Sabacienſi, ut meminiſti, Eccleſia, quæ Savonenſis dicitur, quoniam ad Tua jura collatio pertinebat, perſtudioſe illam mihi conferri, conſenſiſti. Sed de tuis maximis beneficiis nunquam deſinam prædicare hoc tempore. Te facile concedente, de Rotomagenſi cætera perſtringentur. Hujuſmodi Viri liberalis illuſtria officia, quo teſtata omnibus facerem, aſſidue mihi facultatem dari, ut dixeram, peroptabam. Fecit autem deſiderio meo Gellius ſatis, æterna quadam, & immortali gloria hominem in Galliis natum prædicans Favorinum. Quisquis enim Aulum legerit, &, ut facile confido, omnes avidiſſime lectitabunt, tum multis aliis, quos Gelius mirifice commendat, tum maxime uni afficietur Favorino, propterque illius Viri ingentem probitatem non mediocriter Gallicam admirabitur nationem. Eo etiam cupidius, quod cujus virtutis magna in Favorino benevolentia probitatis, in animis hominum viventi, ſpeciem admirabitur, ejusdem in Rotomagenſi ſplendidiſſimo alia quadam non ignobiliore via parem cernet claritatem. Dicerem de Viro digniſſimo plura, deque illius nobiliſſimæ gentis aliquid tangerem gloria, niſi Epiſtolare officium prolixitatis reprehenſione tardaretur. De Rotomagenſi igitur plura alias. Nunc da veniam, PATER BEATISSIME, *ut, quod reliquum eſt, amicis quidem, ſed admodum delicatis hominibus, rationem reddamus, quaſi noſtra ſordidiuſcula, ut rumificant, in tam puris, tamque elegantibus Auctoribus verba, præter morem gravium Scriptorum infarciamus, atque inculcemus, quaſi inter violas urticam, aut inter roſas lappatum, aut ruſcum inter lilia inepto coronamentorum faſtu aſſumamus. Non deprecor culpam,* PATER BEATISSIME, *ſi minus judicio Tuæ Sanctitatis acerrimo, & ſapientiſſimo ſatisfecero. Verum tua excuſatus cenſura, cæteros minime pertimeſcam. Scio,* PATER BEATISSME, *ſcio,* Dominæ faſtidia Romæ, & Quod pueri quoque rhinocerontis naſum habent. *Scio ſemperque paginam vereri, docti ſubituram judicis examen. Scio. Sed ſi quispiam melius iſta me fecerit, in quibus ego aſſidue verſor, illa ſuſcipiam libens, & mea libentius omittam. Interea loci paupertinis me patiantur meis oblectari. Dicunt, minus conſulte actum videri, quod eloquentiæ florem, elegantiæ cultum, dictionis Latinæ minime imitabilem nitorem quisquam auſus ſit ſqualenti, & detrita oratione deflorare. Illis ego paucis re-*

 ſpon-

Digitized by Google

ſpondeo, ita tamen, ut non meam magis, quam doctiorum velim ſententiam ſequi. Amici non facio vobis injuriam. Codices cum habeatis veſtros, quare noſtros aſſumitis? Tamen, ſi vobis grave non eſt, veſtros conferte cum noſtris, & arbitratu veſtro, quæ probaveritis ex noſtris, aſſumite. Si in perpetua, ac continentis dictionis filo, noſtra vobis inculcare, ut dicitis, non libet, at in marginibus deſcribite. Si ne ibi quidem, tamquam in commentariolis annotate. Hæc ſi omnia damnatis, quisnam vos invitos impulit ad noſtrarum lucubrationum lectionem? An contrario voto, ac repugnanti, damnatis, & vultis? quæ iſtæc eſt pugnax, & obverſa ſententia? Nolle facta, & facta ſuſcipere. Videmur ne vobis in alieno libro temere, ac inique fuiſſe ingenioſi? Nullius nos librum attigimus. Gelium conati ſumus intelligere. Si omnia non recte, pureque intelleximus, ad aliquam tamen electionem patefecimus melioribus viam. Vos, quæ ipſi aſſequi non potuimus, quæſo nobis patefacite, Viri ſapientiſſimi. At prius (inquiunt) fecerat hoc nemo. Neque ante ſolem factus fuerat ſol ullus. Ante primum Pſalmorum interpretem (ut de noſtris loquamur) cedo, quis fuerat de Pſalmis commentatus? Ante Ariſtotelis prima gloſſemata (ut de Gentilibus) ante Homeri prima interpretamenta, ante Virgilianæ expoſitionis archetypos, ante omnes in cunctis facultatibus Scriptores, profecto ſcripſerat ejusmodi de rebus nemo. Ut illi nobis exemplo, ita & nos cæteris ſumus futuri; & ut non propterea reliqui a ſcribendo ſunt deterriti, ita noſtra occaſione deſinet nemo. Accipite tamen amici facti noſtri haud ineptam (uti arbitror) rationem. Apud priſcos homines noſtrates, ut ſcitis ipſi, abſque diſcrimine, & Græca legebantur, & Latina. Prius tamen Græca, nam magno ab iis intervallo ſermo Latiaris ſumpſit originem. Neque erat quisquam paulo eruditior, qui utriusque orationis, veluti ambidexter, non uteretur adjumento. Erant iſta communia Virorum elegantium ſtudia. Meritoque in humanitate ſcævus cenſebatur, qui alterutrius facultate caruiſſet. Tunc communes erant libri, & ipſi communes Præceptores. Latina Græce, Græca Latine pronuntiabantur. Modo Attica lingua, modo Romana, & loquebantur, & ſcribebant. Una erat prope ex utrisque linguis oratio. Quod quidem illi facillime aſſentientur, qui modo Latinis verbis, modo Græcis, Marcum Varronem, Nigidium Figulum, Cajum Plynium, & id genus homines

doctiſ-

Digitized by Google

doctiſſimos, ſcripſiſſe intelligent. Neque id in Gentilium ſolum Voluminibus, verum in noſtrorum quoque fuit ſcriptionibus conſuetum. Ex quo fit, ut multifaria priſcorum eadem de re interpretamenta lectitemus. Ea tempeſtate prope ſupervacaneum, & illiberale opus erat, Græca Latinis libris inſperſa convertere, partim quia arduum in primis eſt, aut verius impoſſibile, omnem alterius linguæ cultum, vernaculumque nitorem, ac gratiam exprimere; partim quia quum eadem res non uno tantum modo eleganter reddi queat, idem ſcientibus facere plurimis in medio potius erat relinquenda, quam fucato interpretamento referenda. At vero cum noſtra tempeſtate, præterquam pauciſſimis, Græca vix ſint primis labris deguſtata, neque intelligentium omnes pure, atque integre Latina poſſint ea facere, & tamen abſque illis Authorum ſenſus, ſi modo ſint Græca interpoſita, nullo pacto elici valeat, injuſtus eſt arbiter, & iniquus uti opinor, judex, qui malit aliena ignoranter, quam ſua ſcienter perlegere, & acta neceſſario potius damnare, quam aliquanto etiam cum minore gratia, & dignitate converſa tolerare. Atque utinam veteres illi noſtri patres eruditiſſimi, atque cultiſſimi, Græcos omnes Authores doctrinarum certiſſimos fontes convertiſſent. Non eſſent inextricabiles ſenſus in pleriſque omnis generis facultatum libris. Quis enim quæſo neſcio quæ horrida non interpretamenta, ſed umbracula nonnullorum abſque Prophetarum, Sibyllarumve ſpiritu poſſit ediſcere? Sumantur in manibus multi Theologorum, Philoſophorum, Medicorum, & reliquorum, barbaries verius, quam libri, aperiantur ſenſus, explicentur opiniones, nec veritas in illis Græca conſtabit, neque ulla commodior paulo Latina ſententia. Quod videre facillimum iis eſt, quicunque legerint hiſpidas, atque ſpinoſas converſiones veterum quorundam, fortaſſe doctorum, ſed certe prorſus infantium. Id vero facillimum factu erit, ex novorum collatione Interpretum, qui videntur ſcoriam in argentum, & immo lutum in aurum commutaſſe; nitore enim quodam, & interpretandi elegantia, Græcis Authoribus dignitatem, gratiamque, ſi non auxerunt, quam tamen in ſuis libris habebant, integra fide conſervarunt. Atque ut de uno aliquo ſpeciatim teſtimonium proferam, Dionyſii divinos omnium conſenſu libros, qui prioribus ſæculis Latine reperiebantur, legat aliquis cum ipſo etiam Lynconienſe, Viro acuto in primis, & docto. Num putas abſque illo, aut ejuſmodi alio,

ullus ſenſus excudetur? Non magis quam ſanguis e ſaxo. Confer horridam dictionis illius, & echinoſam faciem, cum elegantia, & terſu Fratris Ambroſii Camaldulenſis, tametſi vix tantus in Græcis litteris cenſeatur Ambroſius, quantam Dionyſii ſublimitas, atque altitudo flagitabat, videbis plane in medio, & illuſtri Sole, quem vix de tenebris rimabare. De Johanne Climaco, idem ut facias, moneo. Sumat in manibus alius Ariſtotelis Problemata, addo, ſi placet, cum Petro de Abano, quem honoris gratia Conciliatorem vocant, & ubi ſe plaſmato (uti ajunt) pariete inceſſiſſe fuerit plane confeſſus, ac tenebris prætentatis ambulaſſe. Veniat ad novos converſores, & meum legat Tehodorum, facillime tali adjumento ipſum explanabit explanatorem. Non aliter de Animalium fiet libris, non de cæteris, qui prius maxima cum ærumna, nunc ingenti cum voluptate lectitantur. Ex illo ſalebroſo, atque aſpero vertendi genere neceſſaria fuit Interpretum ſuper Interpretes expoſitio, quæ ut manca multis in locis ſit, propterea eſt neceſſe, quod divinantis potius, quam explicantis officio, opus fiat conjectari. Talibus igitur legendorum Authorum propter alienam linguam difficultatibus eſt factum, ut omnes prope Codices mendis ſcatentes, fragmentis quoque pleni, ad nos eſſent perlati, & niſi extremis cum difficultatibus legi ultra non valerent. Ego vero, non ut ſapientior, aut doctior, ſed ex iis unus, qui intelligendi ardore flagrarem, eſſemque paulo in gravi Recognitionis opere laboris tolerantior, nec oppoſitu primarum difficultatum frangerer, ut initio ſum teſtatus, Græca diligentiſſime in Aulo, Macrobio, Apulejo, aliiſque multis, ut Divo Hieronymo, Ireneo, conſultis viris eruditiſſimis, perquiſivi, atque indagavi, inventa ad Latinum uſum redigi procuravi. Ac ne denuo futuris ſæculis par difficultas oriretur, ſummopere cavendum mihi deſumpſi. Dicunt laboribus meis minime invidentes: laudabili hæc induſtria effeciſti, ſed ut internoſci facilius poſſent, prout antea dixeramus, factum voluiſſemus. *Erat mihi mens eadem, quoniam ardui operis munus fore perſpiciebam, ut vel mediocri excuſatione poſſent noſtra Gelianis interſeri; verum Impreſſoribus erat penitus noſtris impoſſibile quicquam in marginibus effingere, & in commentariolo ſeparatim nulla poterant via ſeponi, quæ ad intelligendi operis neceſſitatem pertinebant. Ne tamen non foret ex nobis etiam teſtata diſtinctio (etſi difficile non eſt, appoſita dignoſci,*

vel

vel ex orationis ipſius filo, atque lineamentis, tamquam a miricis pinus) rubrica ego meorum laborum additamenta deſcripſi, ſemperque verbum, idest, *antepoſui, ut & qui caſtigatiore ingenio, ac auribus in judicando terſioribus forent, & qui eadem trutinà non poſſent expendere, omnes tamen adjuncta diſcernerent, & Authoribus ſuam puritatem, noſtram nobis omnibus ſtudioſis gratificandi acceptam ferrem voluntatem. Hoc quia aliter facere impreſſoribus non eſt conceſſum, haud gravatim legentes ferent, in ſuis ſinguli Codicibus, lineis quibusdam cum rubrica, interpretata diſcernere. Et quoniam, veluti de Alexandrinis hominibus ſcriptum eſt in Julii Ceſaris Bellorum Civilium Commentariorum libro duodecimo, ipſi homines ingenioſiſſimi, atque acutiſſimi, quæ a nobis fieri viderant, ea ſolertia efficiebant, ut noſtri illorum opera imitari viderentur. & ſua ſponte multa reperiebant: fieri facile poteſt, ut quæ homines ipſi ſuopte inventu non excogitarent, aliorum tamen imitatione accepta ab inventoribus reddant meliora. Invitamus, oramus, obſecramus omnes doctiores, ut acri ipſi ingenio, & ubere doctrina, noſtrorum tenuiſſimas umbras ſtudiorum, pigmentorum ſuorum coloribus, atque luminibus illuſtrare non recuſent. Eo modo ſibi gloriam parient, & nobis ſuſceptionis non indignæ gratiam aliquam referent. Nos profecto grati ſumus omnium judiciis. Nec exprobrationis cauſa, ſed admonitionis caritate ſuggeri hæc nobis a pleriſque amiciſſimis interpretamur. Idcirco ſtudia hæc noſtra nequaquam remittemus, Te præſertim,* PATER BEATISSIME, *& graviſſimis tecum Viris non ſpernentibus, quin potius vigilantibus impendio magis, atque contendemus, ut quotidie melius placitura in medium proferamus. Hoc quoque modo excelſa, & delimata ingenia jugi hortatu provocantes, ſi quo pacto conſequi poſſimus, ut in hoc latiſſimo Recognitionum campo pertrahantur. Nam id ſi fiet, futurum perſpicimus, ut ab iis multa nos quoque diſcamus, tempusque longum recognoſcendi horarum lectione redimamus. Quod votum eſt præcipuum nobis, atque optatiſſimum. Neque hoc facto verebimur, ne in ſpongiam noſtri Ajaces incumbant, quandoquidem non ad vulgi opinionem, ſed ad pauperum commoda laboramus. In Græcis igitur præſcriptam ſervavimus formulam. Latina item ſimili rubrica, diſſimili tamen induſtria, ut textus aliunde ſumpti internoſcerentur facilius, conſignavimus, absque omni litterarum intercapedine,*

ſolo dumtaxat colore, & veluti deſcriptionis luce annotante. Quiſquis igitur A. Gelium lecturus es, Vir ſtudioſe, noſtro arbitratu recte feceris, ſi ante omnia Viri illius Proœmium lectitaris, quod in librorum calce ab eo eſt rejectum, ut & tituli rationem diſcas, & ſcriptionis cauſam, modumque pertingas, & quibus ſcribendi laborem deſumpſerit Vir clariſſimus, atque elegantiſſimus, non ignores. Tum vero ita Noctes omnes, & Capita leges, uti neque a ſuperiore, neque ab inſequenti te juvari magnopere expectes. Res enim ſingulares ſuis quæque Capitibus explicantur. Deis attentiore animo ſemper interpoſitas eſſe alienas orationes, ut dignoſcere poſſis, ſi occurrerint, aſſidue ſuſpicaberis. Nec eo minus te ſemper ipſe colliges, & rem, qua de agi ipſa Nocte promittitur, quæ tibi in manibus fuerit, non ſtrictim, quemadmodum ab eo ſcribitur, ſed in univerſum continuo penſiculabis. Is enim tamquam omnium rerum ſingularum expoſito in medium artificio, ex penitiſſimis vel ſcientiarum, vel artium adytis, ſcitu quæque digniſſima mutuatur, quæ niſi quis ſedulo attenderit, raptim veluti fugitiva dilabentur. Omnibus autem in locis omnes elegantiarum figuras putato te poſſe indipiſci, & modo hoc, modo illo culta orationis genere facundiam hominis eſſe conſperſam. Eo pacto fructum facillime capies egregiæ lectionis. Tibi SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAULO II. VENETO PONT. MAX. *ſub cujus Pontificatu in placidiſſima rerum moderatione florenti, talia quietis opera facillime fiunt, feliciſſimam, & perpetuam ſalutem, atque ſoſpitatem, mecum quiſque candidiſſimus Lector exoptat.*

Mirum tam luculentam Alerienſis Epiſtolam ne verbulo quidem indicari a Maittaire, Orlando, Fabricio, atque Gronovio. Ex hiſce ſolus Maittaire memorat Commentarios Alerienſis in Gellium, eosque anno ipſo, quo Gellius, Romæ editos, & in teſtem Catalogum Gudianum pag. 327. allegat. Commento huic de Commentariis ab Alerienſi in Gellium conſcriptis, ni fallor, anſam præbuerunt verba illa, *Volumina Commentariorum ad hunc diem viginti jam facta ſunt*, quæ leguntur in poſtremis lineis Gellianæ Præfationis, in ea Alerienſis Editione Operis fronti præfixæ, ſed ad libri calcem rejectæ, ut monet ipſemet Alerienſis in Epiſtola. Ea verba palam eſt non Alerienſis, ſed Gellii

Gellii ipſius Commentarios ſignificare, ſeu Noctes ipſas Atticas in XX. libros diſtributas. Author autem Catalogi Gudiani eadem, & alia quæ ſequuntur, tanquam ipſius Alerienſis habuiſſe cenſendus eſt, quod ſejuncta a reliqua Præfatione reperiantur ex lacuna verſibus quibusdam Græcis, qui eo loco deſiderabantur, reſervata.

Latini verſus eidem Præfationi ſubnexi, ipſi utique Alerienſem habent Authorem, iique ita ſe habent.

Aulia mi quondam prædigna Volumina clauſa
Te pandente forem, jam Theodore, lego.
Tu, quemcunque juvat, mecum has evolvere Noctes,
Illas cum Gaza me vigilaſſe tene.
Si minus eſt aliquid, ſuccurre ex parte virili,
Tu quoque, ſi neſcis, rodere parce mea.
Ut nova preſſarent clari monumenta Magiſtri,
Edidimus gratis. Sit procul invidia.
Quære tuos quisquis habuiſti hos forte libellos,
Atque fatere aliquid te didiciſſe meis.
Sparſimus in plures facunda Volumina cartas,
Ne Noctes doctas nox fera detereret.
Cincta ſalo a Cyrno dat Aleria ſcripta, Latini,
Hæc vobis. Illi reddite vos melius.
Sumitis? An taxos pavidi timuiſtis amaras?
Sumite. Non omnis eſt Corſica amara loco.
Ferre ſolet vobis hæc Inſula mollia vina,
Munere jam magni dat meliora Dei.
Radite, ſiqua minus Gelium redolere videntur,
Sed prius albenti quærite digna loco.

Vos

Digitized by Google

Vos Juvenes, noſtri clariſſima lumina Sæcli,
Sumite vos Aulum pectore, fronte, manu;
Pontificum Summus, & mundi gloria PAULUS,
Sacra magis juſtum eſt, hæc quoque Scripta probat.
Ante illi dedimus divina Volumina noſtris
Teutonibus ficta; illa huic prius arce favet.
Fluxerat in mendas pæne omnis carta Latina;
Cæpimus hæc, lapſæ det manus omnis opem.
Quod melius fieret, non nos noramus, amici,
Si quis munus habet, proferat in medium.
Expoſita eſt doctis ingenti gloria campo,
Ingenui neſcit Muſa latere viri.
Murmuret, ac dente laceret ſtudia iſta canino,
Ignoto quisquis mallet biare lare.
Noſtra piis tuta eſt, fiditque Thalia modeſtis
Judicibus, ſi qua es invida turba tace.
Sede Petri Veneto PAULO *florente* SECUNDO
Egimus hæc Romæ. Gratia Summo Deo.

Theodorus Gaza non ex præſtita tantum ſibi opera in Gellianis e Græca lingua vertendis ab Alerienſi (ut vidimus) laudatur, ſed ex Ariſtotelis etiam Problematum verſione, ab eo poſt Petri Aponenſis expoſitionem confecta, qua ipſum explanatorem explanavit, ſic enim loquitur Alerienſis in Epiſtola; ibique translationem etiam librorum Ariſtotelis de Animalibus commendat. Et quoniam eo Epiſtolæ loco doctorum Virorum in Græcis interpretandis labores extollit Alerienſis, Ambroſium quoque Camaldulenſem in exemplum profert, Dionyſii Areopagitæ, poſt Roberti Lincolnienſis Epiſcopi verſionem, nec non Joannis Climaci Interpretem.

Digitized by Google

Editio Alerienſis hac nota concluditur: *Anno Chriſti M. CCCC. LXVIIII.* PAULO REGNANTE II. *Anno ejus V. die vero 11. menſis Aprilis in domo Petri de Maximis.* Digna pariter eſt memoratu Brixienſis Gellii Editio per Boninum de Boninis de Raguſa an. 1485. correctore Marco Scaramucino de Palatiolo, quam Bibliothecæ Leidenſi legaſſe Perizonium ſcribit Fabricius. Hocce in ea legitur Octaſtichon.

Si quem Cecropia clarum, Latiaque Camoena
Eſſe juvet, Geli ſcripta probanda legat.
Attica Nox luci nunquam ceſſura diurnæ,
Ad varias artes quam bene monſtrat iter.
En tibi, docta cohors, Marcus correxit ad unguem,
Quem tulit Adriaco Brixia Marte potens.
Si quid erit falſi, veniam dabis, inſcia turba,
Forſitan huic nocuit, dum celerabat opus.

L. APULEJUS, ET ALCINOUS.

§. XX.

Falſo quidam referunt primam omnium Apuleji Editionem ad annum 1472. & longius etiam aberrant, qui Vicentinæ an. 1488. principatum illum adjudicant. Adeſt Romana, quam in manibus habeo, an. 1469. per Svveinheim, & Pannartz in domo Petri de Maximo, cum Alerienſis Epiſtola ſtatim recitanda. Incipit hæc a Cardinalis Beſſarionis laudibus, cujus conſiliis ita PAULUS Pontifex deferebat, ut nihil de ſummis unquam rebus aggrederetur, niſi ejusdem accederet authoritas. At nihil in ipſo magis commendat Alerienſis, quam Platonicæ Philoſophiæ ab eodem ſuſceptam defenſionem adverſus Georgium Trapezun-

pezuntium Platonis conviciatorem, *etſi in muſcam* (ait) *aquila, in culicem elephas putari poſſe repoſuiſſe videatur.* Quam defenſionem quum Alerienſis perlegiſſet; ſibi conſilium arriſiſſe ſcribit, Platonicos nonnullos, gravitate, & doctrina excellentes, veluti ex tineis potius quam ſcriniis, eruere, & inter eos Lucium Apulejum, *in quo uno* (inquit) *ſumma eruditioni præcipua linguæ copia, & gratia conjuncta eſt.* De Apuleji Opuſculis poſtea diſſerit Alerienſis, quæ perpetuum eruditionis penu jure appellantur: De ſuo autem in iis Opuſculis recognoſcendis labore ita loquitur Alerienſis: *Hæc ipſa emendandi, ut quibusdam fortaſſe videatur, ſimplicitas, ne dixerim, ſeveritas, totum me ſibi vindicat, abſorbet, & abligurit, ut vix reficiendi corpuſculi mihi tempus idoneum ſuperet. Quod facili opera perſpiciet, quisquis videbit, quæ noſtri Impreſſores prælegente me effinxerint, effingantque aſſidue. Quæ quidem vel percurrere, ne dum attentius recognoſcere, in tantis temporum anguſtiis, curisque multiplicibus, rei etiam familiaris, & inſuper Exemplariorum perverſitate, arduum admodum foret.* Apuleji Opuſculis extremum in eo Opere ſe adjunxiſſe ſubdit Alerienſis Alcinoum, Philoſophum & ipſum Platonicum, ſervato honore ſuo Tropienſi Epiſcopo (fuit is Petrus Balbus Piſanus) ejusdem Interprete. Tandem Alerienſis, quemadmodum initio Præfationis ſuæ Cardinalem Beſſarionem maximis laudibus cumulatum, præſertim quod Platoni foret affectiſſimus, ad Cœlum extulerat, idipſum præſtat ad ejusdem calcem de Nicolao Cardinale Cuſano, & eam Præfationem claudit, Platonis obtrectatores aculeatis maxime verbis perſtringens, ac inter cætera. *Vides* (inquit) PATER BEATISSIME, *quanto aſilo agi, quanta vertigine contorqueri debeat quisquis ſe ſe obtrectatorem, & quaſi polinctorem divini Platonis audeat profiteri, quem priſci omnes, quem veteres, quem mediæ tempeſtatis homines, quem noſtræ ætatis maximi, quem Græci, quem Barbari, quem Chriſtiani omnes eruditiſſimi, oraculi vice colant, obſervent, & prædicent.*

At hæc omnia diſertius exponet Alerienſis Epiſtola, ſeu Præfatio, quam ſtatim ſubjungimus.

Joan-

Digitized by Google

Joannis Andreæ Epiſcopis Alerienſi Epiſtola ad
PAULUM II. PONT. MAX.

B*Eſſarion S. R. E. Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, & Conſtantinopolitanus Patriarcha, Nicæni veneranda nuncupatione terrarum ubique celeberrimus, quanquam ſummis Reipublicæ Chriſtianæ negotiis impeditus, merita tamen indignatione commotus, ac veritatis ſtudio incredibiliter inflammatus, quod Tua Sanctitas maxime omnium novit,* PATER BEATISSIME, PAULE II. VENETE, *defenſionis Platonicæ, immò Divinæ Philoſophiæ, quando nil aliud eſt Plato, quam veræ Philoſophiæ exemplar, libros nuper ſcribere adgreſſus, tanta id majeſtate, ac felicitate egit, ut conviciatorem calumnioſum credi Plato ipſe, divinitatis ſecretarius, poſſit, vel ſuggeſſiſſe, vel optaſſe, vel emiſſe. Qui enim inter mortales quodammodo non ſola hominum benevolentia, ut multi, ſed ingenii viventis amplitudine, & ſupernæ mentis divinitate, pro divo ſemper fuerat habitus, quique hodie, tanquam ingeniis ipſis quoque, & ſcriptis, calamitas, ac veluti frequens a morte interitus certis tempeſtatibus oriatur, a Latinorum pauciſſimis, in exiguis quibusdam Opuſculis, legebatur, a plurimis omnino ignorabatur, vix unica Platonis umbra, verius quam nomine, fuiſſe aliquando inter Philoſophos creditus; is, inquam, ita Beſſarionis tui,* PATER BEATISSIME, *defenſione perlecta, ſapientiæ ipſius antiſtes, & virtutis minime fucatæ magiſter, oceano quidem uberior, facillime in omni ſcientiarum genere excelluiſſe perſpicietur, Platoque ipſe id quaſi volens, dum a maximo Beſſarione laudetur, reprehendi ſe a cæteris facile patietur. Quis enim tali, ac tanto teſtimonio, aliorum ſi qua ſint, aurita judicia, non ſe putabit debere contemnere? Usque quod de hoc Divino Platone noſtro dixiſſe Antimachum clarum poetam ferunt, qui cum convocatis auditoribus, legeret eis magnum quoddam Volumen ſuum, & eum legentem omnes, præter Platonem, reliquiſſent :* Legam, *inquit,* nihilo minus. Plato enim mihi unus inſtar eſt omnium; *id veriſſime, ac ſanctiſſime de Beſſarione ſapientiſſimo dici queat. Cujus cum ea ſit, ut ipſe ſemper prædicas,* PATER SANCTISSIME, *in rerum omnium maximarum uſu peritia, ea in conſiliis, vel gravitas, vel perſpicientia, ut nihil de ſummis unquam rebus fiat, ſi Nicæ-*

Digitized by Google

ni unius deſit autboritas; in ſtudiis autem majoribus, & humanis omnibus, & divinis, ea facultas, & copia, ut plura legiſſe credi neminem poſſit, acrius lecta, & rectius intellexiſſe uberius pauciſſimos cultiſſimis quibusque temporibus, clariusque ſcripſiſſe, ipſe juſte pro populo, ſeu malis, pro terrarum orbe, Platonis defenſor, unus ſatis eſſe cenſeatur; etſi in muſcam aquila, in culicem elephas, putari poſſe repoſuiſſe videatur. Tametſi, PATER CLEMENTISSIME, *nemo eſt, qui ſe ſe doctrinarum audeat profiteri ſtudioſum, aut virtutum harum, etiam mediocrium, cultorem, quod divini Platonis non miretur majeſtatem, hominisque minime imitabilis non ſummopere immortalitate rapiatur. Quem cum in libris ſuis omnibus, tum in Oratore, M. Cicero maximis Philoſophis comparat, & omnibus plane his verbis anteponit:* Quamquam enim & Philoſophi quidam ornate loquuti ſunt. Siquidem & Theophraſtus divinitate loquendi nomen invenit, & Ariſtoteles Socratem ipſum laceſſivit, & Xenophontis voce muſas quaſi loquutas ferunt, & longe omnium, quicumque ſcripſerunt, aut loquuti ſunt, extitit & gravitate princeps Plato. *Quem etiam in libri tertii de Oratore Præfatione ita laudat, & extollit, ut magis fieri nequeat:* Omnino libros Platonis mirabiliter ſcriptos legi, qui ſcripti ſunt divinitus. Plato linguæ, animi, & virtutis magiſter. *Itemque in Oratore:* Nec vero Ariſtotelem in Philoſophia deterruit a ſcribendo amplitudo Platonis. *In Bruto vero ita:* Quis enim uberior in dicendo Platone? Jovem ſiquidem, ajunt Philoſophi, ſi Græce loquatur, ſic loqui. Quin & Demoſthenem, ſciens, dicere de ſe in quadam Epiſtola, ſe ſtudioſe legiſſe Platonem. *Quorſum hæc, inquies,* BEATISSIME PATER, *de Platone tam multa? Equidem ſcripta a clariſſimo Beſſarione, tum cætera, tum pro Platone maxime, ſuperioribus menſibus perlegens, putavi optimo conſilio factum iri, ſi Platonicos nonnullos, eosque gravitate, & doctrina inprimis excellentes, Latinorum multis, propter librorum raritatem, multis item propter linguæ vetuſtatem, immo vero incredibilem elegantiam, ignotos, veluti ex tineis, potius quam ſcriniis erutos, ea qua conſuevi opera, ne dicam ſollertia, noſtris hominibus traderem perlegendos, quantulacumque valerem, in tollendis mendis laborans diligentia. L. igitur Apulejum Platonicum, in quo uno ſummæ eruditioni præcipua linguæ copia, & gratia conjuncta eſt, mediocri*

mediocri vigilantia, ut in exemplariorum penuria licuit, redegi in unum corpus, variis in locis membratim perquiſitum, eumque Impreſſoribus noſtris tradidi exarandum. De quo, PATER BEATISSIME, *quædam fortaſſis lecturis non ingrata, huic inſerere ad Te Epiſtolæ ſtatui, non tam ut faciliore opera Apulejus intelligeretur (id enim longioris lucubrationis indiget) quam ut in novam materiam, veluti inacceſſam prius viam, recens ingreſſos, indiciis quibusdam, & quaſi certioribus ſignis, quo magis & confiderent, & procederent, admonerem, ne rei ignoratione plus juſto trepidarent: ut de Opuſculis quoque ipſis, quæ in corpus unum redegi, quam ipſe opinionem habeam, explicarem, potius quam ſententiam ferrem; eoque item pacto poſſet videri, qualis Plato ipſe fuerit, a quo tam magnæ dictionis orta eſt occaſio, qui quidem a graviſſimis, atque eruditiſſimis Philoſophis habitus eſt verius pro oraculo, ne dicam Deo, quam pro magiſtro. De Alcinoo quoque cauſam adderem, quare illum Apuleji noſtri Opuſculis annexuiſſem. Paucis ergo audiant, mecumque intelligere ſtudeant, Apuleii Platonici ſtudioſi. Lucianus ille Syrus, argutulus in primis, atque elegans, vel Sophiſta, vel Philoſophus, ut omnes Græci ſuffragantur, Satyrus tamen quidam in Philoſophos, luſu verius, quam calumnia, multa ſcribens cum gratia, nemini Philoſophorum pepercit omnino. Hic Lucianus Aſinum inter cætera aureum luſit, ſeque in eum finxit eſſe commutatum: cujus rei varie traditur argumentum, quod non eſt hujus dictionis, & temporis explicare. Hunc Aſinum noſter Lucius æmulaturus, ingenii alioquin exuberantis, &, ut Afer, acerrimi, Philoſophus omnium illius ævi ſubtiliſſimus, ſe ſe dicit ſciendi, atque experiendi incenſum cupiditate, tum terrarum alio, tum in Theſſaliam eſſe profectum; iſticque apud Magarum maximam, quando quidem ea tempeſtate mulieres Theſſalæ magicæ potiſſimum ſciebant diverſitatem, haud optabili occaſione, dum in avem affectaret verti, ſe ſe in Aſinum eſſe figuratum. Qua de converſione Divus Auguſtinus noſter in præclariſſimo de Civitate Dei Opere, quid opinetur, expreſſit. In corpore tamen aſinino mentem hominis ſui ait ſe retinuiſſe, atque ita ſub Aſino latitantem multa commoditate, difficilia alioquin cognitu, didiciſſe. Verum priusquam Aſino veſtiatur, fabellas mirificas ad rem pertinentes inducit. Aſino exinde contextus, in ærumnoſas, ac multifarias incidit calamitates, quas feſtiva*

Digitized by Google

diſtione commeminit. Quo in toto ſermone, ſi quis recte intendat, mores humanos effictos, liquido perſpiciet explicari, & impræmeditatas fallaciarum argutias diſcet, quibus etiam cauti ſæpiſſime capiantur: cum non homo homini, ſed lupus ſit potius homo, ut ſcite Plautus inquit, dum qualis ſit homo, non noſcitur. Inſpergit tamen ubique res ejusmodi noſter Lucius, ex quibus omnium eruditiſſimus, ut prædixi, illius temporis mortalium facile fuiſſe videatur. Quod ex ea potiſſimum cernere eſt Fabula, quam obiter anum quandam conſolatricem puellæ captivæ referentem inducit. Quam quidem rem qui certius cupiunt noſſe, Fulgentii de ea ipſa fictione interpretamenta perquirant. Is enim vir doctus in primis commentatus eſt illam. Tandem exanclatis multis, ærumnoſisque laboribus, ut ipſe ait, ideſt cum ſumma animi anxietate, & corporis moleſtia ſuperatis, ac victis, tranſcurſisque multiplicibus vitæ hujus fallacium hominum machinamentis, atque exercitiis, Lunæ auxiliatricis ope, roſis de manu Ægyptii Sacerdotis acceptis, ac devoratis, homini eſt priori ſuo reſtitutus, & religionibus magnis initiatus. Hic eſt Aſinus ille aureus, tanto dicendi lepore, ac ſale, & linguæ gratia compoſitus, ut quisquis illum ſtudioſius lectitarit, in dictione latina fieri terſior queat, atque cumulatior. Nam quia res ſunt diverſiſſimæ, omnes ſecretiores linguæ theſauros, in eo Lucius effundit, ac quantum in dicendo valuerit, referat, verbis adeo propriis, & accommodatis, ut non ſcribere, ſed pingere plane hiſtoriam videatur. Perpauca ſane, uti ego arbitror, in media vita homini poſſunt accidere, quæ latine proferre, aut ſcribere cupienti, hinc depromi ſufficienter non valeant. Ubique enim eſt lepidus, caſtigatus, venuſtus, aptus, varius, copioſus, concinnus, præſto, ut naſci ibidem, non extra adſciſci videatur oratio. Dixerit fortaſſis aliquis, minus tritam eſſe, atque uſurpatam Apuleii noſtri dictionem. Idipſum eſt, quod ego demiror, quod laudo, quod extollo, quia non detrita quadam, non ſuccida, non ruſtica, non ſquallenti, & lacinioſa oratione, non proculcata, non vulgatiſſima denique, res cotidianas ex media vita ſumptas ediſſerit: quippe qui non popinis, aut meritoriis tabernis, aut nugalibus triviis, aut myſticorum compitis ſcribit, ſed elegantiæ, ac cultioris doctrinæ urbanis hominibus, atque ſtudioſis. De multis tamen, BEATISSIME PATER, *ſi per vitam licebit, & tuam Clementiſſimam Sanctitatem, ubi a recogni-*

Digitized by Google

recognitionum munere pauxillum quivero reſpirare, animus eſt mihi, rudibus, inexpertiſque, & literarum tyrocinia ingredi incipientibus, aliquid ſcribere. Nunc hæc ipſa emendandi, ut ego puto, neceſſitas, ut quibusdam fortaſſe videatur ſimplicitas, ne dixerim temeritas, totum me ſibi vindicat, abſorbet, & abligurit, ut vix reficiendi corpusculi mihi tempus idoneum ſuperet, quod facili opera perſpiciet, quisquis videbit, quæ noſtri Impreſſores prælegente me effinxerint, effingantque aſſidue. Quæ quidem, vel percurrere, ne dum attentius recognoſcere, in tantis temporum anguſtiis, curisque multiplicibus, rei etiam familiaris, & inſuper exemplariorum perverſitate, arduum admodum foret. Quod Deo, & Te, PATER BEATISSIME, *ejus Vicario Sanctiſſimo teſte, ideo dico, ut æquo animo patiantur nonnunquam legentes, ſi quæ invenerint ad unguem minus, ac rubricam, & punctum caſtigata, atque deſcripta, & me tamen non putent his verbis culpam deprecari. Quis enim audeat, poſſitve in tot, tamque confragoſis mendis, tam pravis deſcriptionibus, tam raro lectis Auctoribus omnes mendas ſperare ſe dempturum? Et ut quod certum eſt dicam, Impreſſorum quoque noſtrorum operarii, nonnullis in locis ab exemplaribus meis aliquantum aberrant, quod aliter certe fieri eſt perdifficile. Si tamen Deus dederit mihi tuarum caſtarum precum,* PATER BEATISSIME, *merito, ut alioquin C. Plinium difficillimum illum omnium, qui ſcripſerunt, propter mendas Authorem, quem in præſentia cum meo Theodoro Gaza eruditiſſimo in manibus teneo, vel mediocriter abſolvam, propoſitum eſt in notitiam ferre, tam Plinii ipſius nonnulla, quam Apuleji, & ejusmodi reliquorum quorundam verba deſueta ex fragmentis veterum Scriptorum, quæ licebit, colligendo, recentioribus etiam noſtris adjunctis, amicorumque undique imploratis auxiliis, ut hodie certe manca latinitas in verborum deſitorum prope explicatione, plus aliquantulum habeat adjumenti. Sed his miſſis ad Lucium noſtrum redeamus. Metamorphoſin, uti prædiximus, quam Fabulam ipſe Græcanicam appellat, non interpres Apulejus, ſed æmulator ſcripſit. Ab ea ego, uti a majoris operæ libello, initium feci. Secundum locum obtinent Floridorum quatuor libelli, neque enim hoc tempore plures potui diligentia multa adhibita indipiſci. Ea nuncupatione merito inſcripti, floſculis enim & odoramentis doctrinæ omnis in illis oratio inſperſa eſt. Sunt enim veluti*

luti breviſſimi, ac caſti quidam panegyrici; ſed rebus gravibus prægnantes, & farti, ad Africæ Proconſules ab Apulejo habiti, in provinciæ ipſius capite, Urbe Carthagine. In iis hiſtoria ſane brevis eſt, ſed varietate miranda, usque adeo legentem explens, & oblectans, ut pauci libelli plus contineant voluptatis. Tertio vero ab Aſino, & Floridis loco magnificas in primis, & doctiſſimas magicæ calumniæ defenſiones poſui, in quibus mirifice dictioni Lucianeæ adjuncta eſt rerum abſtruſarum penitus magna varietas, & cognitio neceſſaria. Eſt enim ſequentium omnium Opuſculorum id ipſum præcipuum. Quartus erit de Deo Socratis liber, a divo noſtro Auguſtino ſæpius in præclaris Voluminibus de Civitate Dei, ad rerum primarum, & cæleſtium opportune citatus teſtimonia. Ibi de Geniis multa dicuntur. Quis item fuerit Deus ille, ut veteres dicebant, Socratis Philoſophi conſiliarius, arbiterque, ibidem facile perſpicietur, & clariſſime præterea quis, & quatenus magiſter, in ipſa divinarum rerum prima Philoſophia noſter fuerit Plato. Quintus ordine is liber ſequitur, qui quaſi calumniatores futuros Platonis aliquando præſagiens, veluti dedita opera ad defenſionem divini hominis putari poteſt eſſe perſcriptus, atque præparatus. Qui quidem, ut ipſe, quod ſentiam, exſponſu dicam, planiore dictione quadam, quam cæteri, ſcriptus eſt ab Apulejo, quemadmodum & reliqui quoque omnes, de quibus ſubinde explicabo. Forſitanque non eſſe Apuleji, ex hujusmodi orationis filo arguerent, niſi extarent & varia, & vetuſtiſſima non nullibi exemplaria, indicibus Lucii noſtri Platonici præſignata, quæ hoc tempore a me Romæ nequiverunt, admodum id optanti, inveniri. Sed hæc ſatis ſint de mea libellorum Apuleji opinione. Ad rem redeo. Licet, PATER BEATISSIME, *vera fateri. Fuere etiam aliis temporibus Platonomaſtices quidam pro ſuis meritis digna munerati, meri ipſi verberones in Antiſtitem naturæ auſi jactare convitia. Ii non ea copia, qua novus quidam Therſites, ſed a magnis tamen Achillibus pugnis juſtæ ultionis ſunt mactati. Quibus ſi merita ſacrificii quoque alicujus gratia rependi debet, digni profecto ſunt omnes eo ſacro, quo Junius Brutus, Tyrannorum Tarquiniorum ab Urbe tua Roma exactor, pro capitibus humanis, Maniam, Larum matrem, propiciandam eſſe ſtatuit. Cum enim prius ſacri immanis horrore, Larvæ illi, & vere [illegible]us humanis deteſtabili veſania, fieret res divina, quod etiam*

etiam Macrobius gravis Author meminit, libertatis Romanæ dignus aſſertor, & patronus Junius Brutus, allii fætentis, & papaveris ſomniculoſi capitibus juſſit congruens Mania fieri ſacrificium. Hoc quæſo honore calumniatores & Platonis, & reliquorum ejusmodi Virorum, PATER BEATISSIME, *patere honorari. Quid enim feſtivius poſſit excogitari non invenio. Nam fetutinis, & olenticetis omnibus immerſari tales jure debent, atque obrui, & cum allii Horatiana quoque execratione in ultimas terras deportari, ubi perpetuo ſomno, & veterno ſopiti, quaſi nunquam fuerint, ignorent; quando præcipiti rotati vertigine, iis Viris detrahunt, qui humanitatem divinis ornamentis induerunt, luminibusque ſplendidiſſimis illuſtrarunt, quos ſani capitis omnes homines venerantur, ſuſpiciunt, admirantur. Quippe qui pene jacentem in tenebris ignorantiæ mundum ſcientia ſüa, & laboribus perpoliverunt, oſtenderuntque, quonam adjumento ab infimis terris ad ſuperna ſydera homines evolarent, & veluti fortiores intellectionis divinæ alas, quibus facere id poſſent, addiderunt. Qualem omnium graviſſimo teſtimonio, & vero, tam noſtrorum, quam Gentilium, Platonem fuiſſe, qui neſcit, eſt ruſticus, qui diſſimulat, ingratus, qui negat, perditus, qui calumniat, amarulentus prorſus, atque deteſtandus. Cui Viro ſi vel alterum parem Gentilium ætas omnis ante Domini noſtri JEſu Chriſti adventum habuiſſet, potuit mundus ſqualens, non dicam ab omni cæcitatis errore, nam id per Clementiſſimum Deum ipſum duntaxat erat futurum, ſed profecto prope ab omni inſcitia liberari. Qualia enim, JEſu bone, docuiſſet, qui tanto ſublimi Platone fuiſſet major, quanto divinus ipſe homo majoribus ſuis omnibus anteiverat? Quod ſi præſentis negocii, & inſtituti operis munus primum foret, dicere ſpeciatim, quæ res tanta poſſit de Platone, expanderem equidem aliis antemnis vela grandiora, oſtenderemque me quoque caſtiſſimo, & purgatiſſimo illi Antiſtiti ſapientiæ nonnihil aliquando vigilaſſe. Verum ad Apulejum revertor. Hic Philoſophus, etſi breviter, aliquo tamen pacto, dogma, hoc eſt, decretum, ac ſanctionem Platonis expoſuit, & ejus ipſius partem ſub Philoſophiæ vocabulo tantummodo delibavit. Sextum locum obtinet de Mundo liber, ab Ariſtotele ſapientiſſimo, & Phyſicorum maximo, ad Alexandrum Regem ſcriptus, ab Apulejo noſtro Latinis exhibitus, ut unus vir ex Platonicorum familia, uterque poſſet & Platonicus,*

cus,

Digitized by Google

luti breviſſimi, ac caſti quidam panegyrici; ſed rebus gravibus prægnantes, & farti, ad Africæ Proconſules ab Apulejo habiti, in provincia ipſius capite, Urbe Carthagine. In iis hiſtoria ſane brevis eſt, ſed varietate miranda, usque adeo legentem explens, & oblectans, ut pauci libelli plus contineant voluptatis. Tertio vero ab Aſino, & Floridis loco magnificas in primis, & doctiſſimas magicæ calumniæ defenſiones poſui, in quibus mirifice dictioni Lucianeæ adjuncta eſt rerum abſtruſarum penitus magna varietas, & cognitio neceſſaria. Eſt enim ſequentium omnium Opuſculorum id ipſum præcipuum. Quartus erit de Deo Socratis liber, a divo noſtro Auguſtino ſæpius in præclaris Voluminibus de Civitate Dei, ad rerum primarum, & cæleſtium opportune citatus teſtimonia. Ibi de Geniis multa dicuntur. Quis item fuerit Deus ille, ut veteres dicebant, Socratis Philoſophi conſiliarius, arbiterque, ibidem facile perſpicietur, & clariſſime præterea quis, & quatenus magiſter, in ipſa divinarum rerum prima Philoſophia noſter fuerit Plato. Quintus ordine is liber ſequitur, qui quaſi calumniatores futuros Platonis aliquando præſagiens, veluti dedita opera ad defenſionem divini hominis putari poteſt eſſe perſcriptus, atque præparatus. Qui quidem, ut ipſe, quod ſentiam, exſponſu dicam, planiore dictione quadam, quam cæteri, ſcriptus eſt ab Apulejo, quemadmodum & reliqui quoque omnes, de quibus ſubinde explicabo. Forſitanque non eſſe Apuleji, ex hujusmodi orationis filo arguerent, niſi extarent & varia, & vetuſtiſſima non nullibi exemplaria, indicibus Lucii noſtri Platonici præſignata, quæ hoc tempore a me Romæ nequiverunt, admodum id optanti, inveniri. Sed hæc ſatis ſint de mea libellorum Apuleji opinione. Ad rem redeo. Licet, PATER BEATISSIME, *vera fateri. Fuere etiam aliis temporibus Platonomaſtices quidam pro ſuis meritis digna munerati, meri ipſi verberones in Antiſtitem naturæ auſi jactare convitia. Ii non ea copia, qua novus quidam Therſites, ſed a magnis tamen Achillibus pugnis juſtæ ultionis ſunt mactati. Quibus ſi merita ſacrificii quoque alicujus gratia rependi debet, digni profecto ſunt omnes eo ſacro, quo Junius Brutus, Tyrannorum Tarquiniorum ab Urbe tua Roma exactor, pro capitibus humanis, Maniam, Larum matrem, propiciandam eſſe inſtituit. Cum enim prius ſacri immanis horrore, Larvæ illi, & vere furioſæ, capitibus humanis deteſtabili veſania, fieret res divina, quod*

etiam

etiam Macrobius gravis Author meminit, libertatis Romanæ dignus aſſertor, & patronus Junius Brutus, allii fatentis, & papaveris ſomniculoſi capitibus juſſit congruens Maniæ fieri ſacrificium. Hoc quæſo honore calumniatores & Platonis, & reliquorum ejusmodi Virorum, PATER BEATISSIME, *patere honorari. Quid enim feſtivius poſſit excogitari non invenio. Nam fetutinis, & olenticetis omnibus immerſari tales jure debent, atque obrui, & cum allii Horatiana quoque execratione in ultimas terras deportari, ubi perpetuo ſomno, & veterno ſopiti, quaſi nunquam fuerint, ignorent; quando præcipiti rotati vertigine, iis Viris detrahunt, qui humanitatem divinis ornamentis induerunt, luminibusque ſplendidiſſimis illuſtrarunt, quos ſani capitis omnes homines venerantur, ſuſpiciunt, admirantur. Quippe qui pene jacentem in tenebris ignorantiæ mundum ſcientia ſüa, & laboribus perpoliverunt, oſtenderuntque, quonam adjumento ab infimis terris ad ſuperna ſydera homines evolarent, & veluti fortiores intellectionis divinæ alas, quibus facere id poſſent, addiderunt. Qualem omnium graviſſimo teſtimonio, & vero, tam noſtrorum, quam Gentilium, Platonem fuiſſe, qui neſcit, eſt ruſticus, qui diſſimulat, ingratus, qui negat, perditus, qui calumniat, amarulentus prorſus, atque deteſtandus. Cui Viro ſi vel alterum parem Gentilium ætas omnis ante Domini noſtri JEſu Chriſti adventum habuiſſet, potuit mundus ſqualens, non dicam ab omni cæcitatis errore, nam id per Clementiſſimum Deum ipſum duntaxat erat futurum, ſed profecto prope ab omni inſcitia liberari. Qualia enim, JEſu bone, docuiſſet, qui tanto ſublimi Platone fuiſſet major, quanto divinus ipſe homo majoribus ſuis omnibus anteiverat? Quod ſi præſentis negocii, & inſtituti operis munus primum foret, dicere ſpeciatim, quæ res tanta poſſit de Platone, expanderem equidem aliis antemnis vela grandiora, oſtenderemque me quoque caſtiſſimo, & purgatiſſimo illi Antiſtiti ſapientiæ nonnihil aliquando vigilaſſe. Verum ad Apulejum revertor. Hic Philoſophus, etſi breviter, aliquo tamen pacto, dogma, hoc eſt, decretum, ac ſanctionem Platonis expoſuit, & ejus ipſius partem ſub Philoſophiæ vocabulo tantummodo delibavit. Sextum locum obtinet de Mundo liber, ab Ariſtotele ſapientiſſimo, & Phyſicorum maximo, ad Alexandrum Regem ſcriptus, ab Apulejo noſtro Latinis exhibitus, ut unus vir ex Platonicorum familia, uterque poſſet & Platoni-*

 cus,

Digitized by Google

cus, & Ariſtotelicus eſſe cenſeri, maximo utrique, & in ſuo genere Philoſophorum primario affectiſſimus; atque laudis utriusque prædicator indefeſſus. Et merito; utrumque enim idem recta expenſione ſentire, minimeque, quod quidam arbitrantur, diſſentire, eo modo tacitus judicabat. Quo in libello tanta eſt, præter illius rei cognitionem, qua de agitur, hoc tempore vel utilitas, vel facultas, ut pauci fortaſſis Latinorum libelli utriusque linguæ in eo ſcientiarum genere ſtudioſis videri commodiores poſſint; cum præſertim idem ipſe ſit Trimegiſtum interpretatus, & antiquiſſimum & divinum Philoſophum. Qui liber ſeptimum locum in operibus tenebit Apuleii, ejusmodique interpretamento iis gradum omnibus faciet, qui pure, ac latine illa quoque voluerint, quæ a forenſi magis ſunt dictione remota, nequaquam horridule interpretari. Extremum in hoc opere poſuimus non ita pridem converſum Alcinoum, Philoſophum & ipſum Platonicum, latius paulo divini Platonis ſanctiones, & decreta explicantem, cujus Interpreti Patri Reverendo Epiſcopo Tropienſi honorem ſuum juſte ſervavimus, Præfationem ejus libro Alcinoi apponendo. Quod eo etiam pleniore egimus voluptate, quia hic libellus ad Virum maximum Nicolaum Cuſenſem, Cardinalem, dum viveret, Sancti Petri ad Vincula, cujus nos ipſi in gratiſſimo nobis, & utiliſſimo fuimus ſex continuos annos obſequio, eſt inſcriptus. De cujus quidem Viri ſummis laudibus, & virtute quisquis velit ſcribere, faciliime, quod laudet, obvium, promptumque inveniet: ubi tamen deſinat, aut cui, quod præferat de ſummis ejus meritis, vel ornamentis, nunquam, ſi ſapiat, poterit exacte judicare. Fuit enim Vir ille, quod non Tibi, PATER BEATISSIME, *ſed poſteris dico, tanta bonitate, ut Vir eo melior numquam ſit natus, vitiorum omnium hoſtis acerrimus, atque publicus inimicus, & faſtus, atque ambitionis ita adverſarius, ut quivis maxime: quibus hominum quorundam perverſa opinio, quanto magis abundant, eo ſe putant firmius, & auguſtius dignitatis ſuæ locum, gradumque ſervare, ſeque ipſos magis honorarier; tanta vero integritas, ut facilius Apenninus, aut Alpes reliquæ, quam ſancte, ac juſte ab eo ſemel concepta ſententia, loco potuerint dimoveri. Nec quisquam illi Viro absque juſtitia, & pietate carus unquam fuit. Ea honeſtorum laborum patientia, in declivi etiam ſenectute jam poſito, ut annos cum labore æſtimantes, aliquid in eo majus homine facile eſſe ſentirent. Ea &*

hon-

Digitized by Google

beneſaciendi, & gratificandi promptitudo, ut natus omnibus maxime, ſibi ipſi minime videretur. Ea gratiæ referendæ, ſi præventus, ut ſit, a quopiam merito foret, feſtinatio, & copia, ut vitam quoque pro benemerentibus effundendo, ſe tamen ſatisfacere non poſſe beneficiis judicaret. Usque adeo vero ſtudioſus, ut meipſo præſente, & maxime admirante, in hyberno quoque longo itinere, totum diem ultra millia paſſuum quadraginta Germanica tranſigens equitatione, quæ ſolet eſſe laborioſior, noctibus tamen, & ſenex, & quod credi poterat, defatigatus, ſtrato ſe proripiens ſuo, graviſſimas Theologiæ, interdiu ſecum obiter commentatas, manu ſua ſcriberet Quæſtiones, nobisque audiendi ejus percupidis in via, poſtridianis ſemper manſionibus faciendis, divini animi ſui inventiones explicaret. Sane equidem tanta doctrinarum omnium ubertate Nicolaus, quod eſt dictu mirabile, fuit, ut quicquid ex tempore dicendum incidiſſet, tali id ſemper ille copia ediſſereret, ut ei ſolum facultati cenſeretur ſtuduiſſe. Vir ipſe, quod rarum eſt in Germanis, ſupra opinionem eloquens, & latinus, hiſtorias idem omnes, non priſcas modo, ſed mediæ tempeſtatis, tum veteres, tum recentiores usque ad noſtra tempora memoria retinebat. Geſta præcipue Conciliorum omnium, Eccleſiaſticam ſcilicet Hiſtoriam, non ſummatim, ſed per capita ſingula, & veluti diarias ipſas actiones, examuſſim crebro referebat. Rerum origines, quaſi Chriſtianus Cato, & facti cujusque ordinem explicabat, ut vel unica iſta re videri facile quiret admirabilis. Quæ tamen majoribus cæteris comparata, inter illius laudes locum ſibi minimum vindicabit. Poetas, & Oratores diſſimulabat ſane, verum, ut erat ingenio peramano, nequaquam ignorabat. In diſciplinis Mathematicis ſuo tempore Nicolao doctior fuit nemo; quod quidem Viri illius plurimæ teſtantur ſcriptiones. Jus civile, & Pontificium recte, pureque didicerat, &, ut immortali, atque æterna memoria erat, tanquam tunc primum ex illorum ſtudiorum officina prodiiſſet, memoriter ſanctiones, & Patrum decreta omnia, & doctorum inſuper ſententias recitabat. Philoſophiæ Ariſtotelicæ acerrimus diſputator fuit; Theologiæ vero Chriſtianæ ſummus Interpres, & Magiſter, & cæleſtis arcani Antiſtes ſapientiſſimus. At Platonis noſtri, & Pythagoræorum dogmatum, ita cupidus, atque ſtudioſus, ut nemo magis illi ſcientiæ putaretur intendiſſe. Quod equidem duobus exemplis breviter, &

Digitized by Google

veriſſime, confirmabo. Proclum habebat Platonicum mendoſiſſime ſcriptum, acri tamen ingenio adeo ei rei intelligendæ aſſiduus inſtiterat, ut etiam ex mediis librariorum mendis ſolidam rerum eliceret veritatem. Quod ea ratione perſpectum eſt, quia deinde oblato illi forte fortuna vero quodam exemplari, ita inventus eſt Proclus ipſe ſcripſiſſe, veluti Nicolaus ingenio ſuo fuerat conjectatus. Parmenidem Platonis magna veluti ardens ſiti, de Græco in Latinum fecit converti, item Platonis Theologiam a Proclo, quem modo nominavimus, ſcriptam. His ille libris, veluti theſauris ſuis, & propriis maxime recreabatur, ut nulli alii rei tantopere vigilaret. Quod quare in Epiſtolæ bujus calce dedita opera poſuerim, Tibi, PATER BEATISSIME, *ut dicam, eſt neceſſe; nam de Nicolao tuo cætera me rectius, & plenius ipſe cognoviſti. Oſtendi initio meæ Præfationis Virum excellentiſſimum Beſſarionem, Cardinalem Nicænum, Platoni magna ratione eſſe affectiſſimum. Idipſum & de Nicolao Cuſenſi Cardinale, dum viveret, Sancti Petri, declaravi. Quis igitur niſi ineptus, & vanus audebit noſtra ætate a Viris his duobus, facile doctorum principibus, diſſentire? Quis gravis, & ſanus, non maxime conſentire? Vides,* PATER BEATISSIME, *plane vides, quanto aſilo agi, quanta vertigine contorqueri debeat, quiſquis ſeſe obtrectatorem, & quaſi polinctorem divini Platonis audeat profiteri: quem priſci omnes, quem veteres, quem mediæ tempeſtatis homines, quem noſtræ ætatis maximi, quem Græci, quem Barbari, quem Chriſtiani omnes eruditiſſimi, oraculi vice colant, obſervent, & prædicent. Prodeant ex gurguſtiis, ſi ſatis ſibi nondum videntur prævaricatione præterita deliraſſe, Daretes novi. Aderunt Entelli ad pugnandum, non præcipites illi quidem, ſed juſta indignatione provocati. Prodeant Therſitæ, & Achilles aderunt, vincendi fiducia, & divinis armis inſtructi. Prodeant Marſiæ, & Apollines provocent, ut Muſis arbitris, ac judicibus, diſſluant excoriati, non in noſtri orbis fontes, ſed in cocytos Infernos, Lethæas voragines, atque æſtuoſos phlegetontes. Da veniam,* PATER BEATISSIME, *contra fabuloſos, & lucifugas hoſce fabulis utenti. Nam ſi reſipiſcent, quod equidem opto, palinodias commodum per plateas decantabunt; neque id ſolum, ſed per & compita ſcriptas affigent, ut facti cæci parte ſui meliore, luminis exiguum, luciſque recuperent. Quæ enim, malum,*

malum, fuit ſtultitia? immo quæ tanta inſania? quis ſtupor? pulvere, ac calce Solem niti, ac contendere obtenebrare, ut in altum ſublatus pulvis in jaculatorum ipſorum oculos recidens, lucem omnem eis eriperet? Quod profecto iis accidit, quicumque Platonicum Solem ſeſe temere obſcuraturos crediderunt. Nos tamen non de miſeris triumphum optantes, Chriſtianisque, & Platonis ſimul radiis, & humanitate illuſtrati, cæcos iſtos miſerati, demus errantibus, & ſtupidis, & nihil cernentibus, nihil intelligentibus, omnino veniæ manum; ad fontesque omnes pœnitentiæ, conſcientiæque deducamus, ut loci retractationis aqua, lippientesque oculos inuncti, doloris medicamento aliquando diſcant meliora, ingemiſcantque erraſſe. Tibi ſit, & Tuo gregi felicitas perpetua, PASTOR, ET PONTIFEX SANCTISSIME, *per quem tempora noſtra aſſidua pace lætiora floreſcunt. Quod ut perpetuum, & Tibi, & nobis ſit, Dominus ipſe Omnipotens miſericorditer impartiat.*

Beſſarionis erga Philoſophiam Platonicam ſtudium, quod Alerienſis in hac Epiſtola teſtatur, compertius adhuc evadet ex §. XXII. præterquamquod de eo ita conſtat, ut novis documentis non indigeat. Singularia ſunt, quæ de eo ipſo ſtudio Nicolai Cardinalis Cuſani tradit Alerienſis, præſertim de Procli Codice adeo acri ingenio ab ipſo a mendis expurgato, ut novus Codex forte fortuna poſtea oblatus, ita Proclum ſcripſiſſe, quemadmodum Nicolaus conjectaverat, comprobaverit; nec non de graviſſimis Quæſtionibus Theologicis, quas vel iter agens hyberno quoque tempore ſecum obiter interdiu commentabatur, noctu vero ſtrato ſe proripiens ſuo, licet annis, & longæ equitationis labore preſſus, in ſcripta redigebat, ſociisque, inter quos Alerienſis, audiendi percupidis identidem lectitabat in otio manſionum.

Nota, quæ legitur ad calcem Editionis, unde Alerienſis Epiſtolam deſcripſimus, hujusmodi eſt: *Lucii Apuleii Platonici Madaurenſis Philoſophi Metamorphoſeos liber, ac nonnulla alia Opuſcula ejusdem; nec non Epitomata Alcinoi in diſciplinarum Platonis deſinunt. Anno ſal. MCCCCLXIX.* PAULO VENETO REGNANTE SECUNDO, *anno ejus quinto, die vero ultima menſis Februarii. Romæ in domo Petri de*

 Maximo.

Digitized by Google

Maximo. Apulejanæ Metamorphoſeos elegantiam, & acumen parum profecto ſapit Alcinoi hujus Philoſophi in Alcinoum Phæacum Regem, de qua diximus Primord. Corcyr. Cap. XVII. facta converſio in Indic. Biblioth. Coislin. (*a*).

STRABO.

§. XXI.

Strabonis quoque Geographiam in Latinum verſam Romana prela in lucem eduxerunt, PAULO II. Pontificatum gerente. Interpretes fuerunt Guarinus Veronenſis, & Gregorius Tiphernas ex demandata eis cura a Nicolao V. Pontifice Maximo. Horum Exemplaria quum in manibus ſumpſiſſet Alerienſis, typis excudenda curavit, uſus ope Theodori

(*a*) En tibi ipſa Eminentiſſimi quondam Cardinalis verba, quibus l. c. p. 140. ſq. uſus eſt: Facilius æquus lector ignoſcat juveni Aſcetæ (quam Andreæ Marmoræ, Hiſtoriæ Corcyrenſis auctori) „Indicis „in Bibliothecam Coislinianam, a Bern. MONTFAUCONIO ſumma „more ſuo diligentia recenſitam, concinnatori, quod Alcinoo Phæa„cum Regi, Nauſithoi filio, tractatum cujusdam Alcinoi Plato„nici, *περὶ τῶν Πλάτωνος δογμάτων*, *de Platonis dogmatibus*, adſcrip„ſerit. Palmarium quidem ſphalma. Nam refertur ille ſcriptor a Vi„ris doctis ad initia ſecundi a Chriſto nato ſæculi, ac proinde mille „tercentos circiter annos poſt Alcinoi regis tempora. Verumtamen „hoc ſeu ex inſcitia (quod vix crediderim) ſeu ex præpropera in „ſcribendo feſtinatione (quam probant alia in eo Indice perperam „poſita) admiſſum, leve videatur præ mendaciis illis, ex quibus „tota Andreæ Marmoræ narratio facta eſt, Alcinoi inſtar Apologo„rum, quales

Nec pueri credant, niſi qui nondum ære lavantur.

Digitized by Google

dori ſui Gazæ, Andronici, Lampique Biragi; ita enim eorum nomina effert Alerienſis Epiſtola mox recitanda.

Joannis Andreæ Alerienſis Epiſcopi ad PAULUM II. PONT. MAX. *Epiſtola.*

Geographiam multos ſcripſiſſe novimus, PATER BEATISSIME PAULE SECUNDE VENETE PONTIFEX MAXIME, *temporum noſtrorum felicitas, & gloria, cum ejusmodi ſit doctrinæ opus, quod omnibus gratum, a pluribusque tractatum, vix unquam tamen ad plenum, vel apprehenſum, vel explicatum eſſe cenſeatur, dum nunc Cæli, nunc Marium, nunc ſituum cæterorum ratione aliquid priorum ſcriptis adjici poſſe perſpicitur, tanta conſequente lectionis hujus ſtudioſos utilitate, ut indoctus nemo videri ſanius poſſit, qui vel exactam membratim, vel in ſummam collectam rationem reddere patriarum queat. Illum ſane Reges maximo honore proſequuti ſunt, illum ingentes ſunt exercitus admirati, illum ductores Legionum, tanquam cæleſtem ducem, ſunt ſequuti, illum miro amore omnes mortales ſunt exoſculati, quem regionum peritiam callere dicerunt. Ob eam rem divino ingenio, atque eruditione viri Hipparchus, Eudoxus, Eratoſthenes, Hippias, Seboſus, Bion, Xenophon Lampſacenus, Beron, Timæus, Dionyſius, & artis totius ſplendor, & conſtans artifex Ptolemæus, & ante illum Plinius, ac Mella, Auguſtique temporibus Strabo, aliique perplures nunqam ſatis laudati prodiere. Abſque id genus Viris nulla ab Imperatoribus, ac Regibus unquam expeditio eſt ſuſcepta. Id Chriſtianitatis Principes, ac Sedis Tuæ Romanæ Eccleſiæ Sanctiſſimi Antiſtites recte intelligentes, & ante omnes Pontificum Maximorum ſplendor ingens Nicolaus Quintus Prædeceſſor haud dudum tuus,* PATER SANCTE, *miro ſtudio egerunt, ut Ptolemæus, Straboque Cretenſis, non minus Hiſtoricus, quam Geographus, atque Philoſophus, & Homericæ majeſtatis illuſtris expoſitor, Romanis vocibus audirentur, demandata rei miræ difficilis provincia multi nominis Viris Jacobo Angelo Florentino, in mathematicis doctiſſimo, ab Alexandro Quinto transferendi in latinum Ptolemæi; Strabonis vero a Nicolao item Quinto, Guarino Veronenſi, & Gregorio Tifernati. Quorum ego in manibus ſumptis exem-*

Digitized by Google

exemplaribus, ex Gregorii Archetypis Aſiam, atque Africam deſcribi feci; Guarini autem Europa perlecta, quæ in ea multa deerant fragmentis, ut puto, Græcorum illius exemplarium, amicorum ope addi omnia procuravi. In quo Theodoro meo Gazæ, atque Andronico, Lapo item Birago, Græce, Latineque doctiſſimis Viris, non exigua gratia eſt habenda. Equidem Strabonem ſcio lectionis varietate, copiaque, ac ſumma rerum plurimarum eſſe eruditione ſingularem, multoque in ſua, quam in noſtra lingua magnificentiorem, in qua etiamſi non eſt verior, aliquanto tamen futurus eſt clarior, Latinis hominibus incredibiliter placiturus. De quo pro Viri merito, atque amplitudine nihil dici nimium poteſt. Sed ab optimo homine Cretenſi ad ineptiſſimam rabulam, bonos omnes calumniantem, PATER SANCTE, *cum tua bona venia vertenda eſt Epiſtola. Illius enim maledicentia irritatus, tamdiu tacui, quod locum, in quo inſigniter eum affigerem omnibus ſpectandum, non quia tam diu mihi ſilendum foret, expectabam. Feret igitur Cretenſis illuſtris Coinſulanum ſuum per totum Orbem obſcuriſſimum, qui ſanctis laboribus meis, utilibus communi ſtudioſorum Reipublicæ, medius irruit importune, ut ſæva in fruges calamitas, utque in armenta lues, Erinnys veriſſime improba quietorum. Hunc quoniam amarulento quondam Timoni, mortales omnes odio inſequenti, ſimillimus eſt, non alio, quam* Cenotimonis, *ideſt*, novi Timonis *nomine, cum honoris præfatione, doctis omnibus juſte mihi ignoſcentibus, appellabo; ita ut ſi inter ulceroſi illum tergi, ut dicitur, plagas tetigero, reſponſum ſciat, non dictum prius; nec deinceps usque adeo fiat præceps in conviciando, ut dicendo quod velit, quod nolit cogatur audire. Ignoſcam enim illi in præſentia pene omnia, quæ, ſi irritabit crabrones, ſecundum hanc prægustationem profundentur. Nam tanquam omnis docte, caſteque ſcribendi occupatus locus omnino foret, nec ulla ſupereſſet materia ſapientiæ, in tetram penitus, ac cadaveroſam totum ſe ſe conviciandi demerſit fœditatem, ut noſtra juſtior fiat iracundia. Quæ enim (proh dolor!) intemperies, quæ larvæ, quæ niſi extrema dementia hos impulit in Platonem &c.!*
Fuſiorem, quæ ſubſequitur, in Georgium Trapezuntium Invectivam, quum ad argumentum noſtrum minime faciat, deſcribere prætermittimus, ſolum adnotantes Georgium ſtomachatum fuiſſe adverſus Alerienſem,

Digitized by Google

ſem, præſertim quod Platonem, *Divinitatis ſecretarium*, dixiſſet, hujusque impii, ut ipſe ait, facinoris vindicem PAULUM ipſum Pontificem flagitaſſe. Tandem his verbis Epiſtola clauditur: *Tu*, PATER BEATISSIME, *etiam, atque etiam obſecro, ignoſce neceſſitati hujus Epiſtolæ, quæ omnino eſt contraria ſtudiis meæ voluntatis. Vale ſemper feliciſſime, ſanctiſſimeque, ac placidiſſime Pontifex.*

De PAULI II. in Georgium Trapezuntium pietate jam diximus Vindiciar. Cap. I. Plura de eodem Lector deprehendet in Diatr. Prælimin. ad Epiſtol. Franc. Barb. Part. I. Cap. III. §. II. ac præſertim de Platonis legibus ab ipſo in Latinum verſis, & de ſuſcepta a Beſſarione adverſus eundem Platonis defenſione.

In Alerienſis Editione, quæ mihi ad manus, anni indicium deſideratur, ſolumque ad ejus calcem recitantur verſus: *Aſpicis illuſtres &c.* unde & impreſſionis locus, & impreſſorum nomina certo innoteſcunt. Ita etiam nuncupatoria Alerienſis Epiſtola certos nos facit, Editionem illam ante finem anni 1471. quo PAULUS II. e vivis exceſſit, prodiiſſe. Alia per eosdem impreſſores, & cum iisdem ad calcem verſibus prodiit an. 1473. nam poſt eos verſus hæc nota habetur: *MCCCCLXXIII. die vero Veneris* XII. *menſ. Februarii.* Utramve incompertam habuerunt reliqui omnes Strabonis Editores, adeo ut vel in luculentiſſima Editione Amſtelædamenſi an. 1707. apud Joannem Wolters Indiculus veterum Editionum a Veneta an. 1480. inchoetur. Eam ipſam pro prima habuit Fabricius Bibl. Gr. lib. IV. cap. I. ibique monet antiquioribus Guarini, & Gregorii verſionibus ultimam manum impoſuiſſe Jacobum Antonium Marcellum. Quod autem ſubdit, Guarinum, ſive æmulatione æqualis ſui Gregorii (ut Voſſius p. 585. de Hiſtor. Latin.) ſive Nicolai V. Pontificis juſſu (ut Geſnerus in Biblioth.) tranſtuliſſe ea, quæ de Europa Strabo, ut Gregorius ea, quæ de Aſia ſcripſit, verterat, certiorem teſtem recipient Alerienſem in Epiſtola. Hanc pariter recitatam reperio in Veneta Editione anni 1494. per Joannem Vercellenſem, ignota & ipſa Editori Amſtelædamenſi, & pleriſque omnibus de rei Typographicæ origine agentibus.

Digitized by Google

Exſtat breve Epiſtolium, quod recitabo, Franciſci Philelphi ad Guarinum Veronenſem, unde dignoſcitur vel ab an. 1448. hunc de Strabone interpretando cogitaſſe. *Strabonem Geographum* (inquit Philelphus) *quem a me petis commodato, darem ad te quam primum, ſi penes me foret. Sed eum ab usque Conſtantinopoli cum aliis meis permultis libris miſi ad Leonardum Juſtinianum, Virum clariſſimum, & tibi aeque amiciſſimum, atque ipſi mihi, ea ſcilicet lege, ut cum primum in Italiam revertiſſem, bona fide reſtitueret. Nunc illo vita functo, libri omnes ſunt apud ejus filium Bernardum, Virum optimum, Patrique ſimillimum. Tu rem tenes. Vale ex Mediolano* III. *Non. Aug. MCCCCXLVIII.* De Codice ipſiusmet Guarini manu exarato, quo Strabonis Verſio continetur, cuique præmittitur Epiſtola nuncupatoria Jacobi Antonii Marcelli ad Renatum Andegavenſem, Regem Neapolitanum, mentionem fieri reperio Veron. Illuſtr. lib. III. ubi de Guarino, indeque certo conſtare, non decem ſolum, ſed decem, & ſeptem libros Coſmographiæ Strabonis a Guarino fuiſſe converſos.

Idem Philelphus Epiſtolar. lib. XXIV. in una ad Arginum Buxetanum magna cum laude meminit Andronici Byzantii, quem eruditiſſimum, & eloquentiſſimum vocat, ac proinde Arginum laudat, quod Græcæ ſtudens diſciplinæ, eam ex Andronici fontibus hauriret. Forte Andronicum hunc deſignat Alerienſis in recitata Epiſtola, ubi eum Theodoro Gazæ, & Lapo Birago conſociat, horum omnium opem expertus in edendo Strabone. Fuerunt præterea eodem tempore Andronicus Theſſalonicenſis, & Andronicus Calliſtus, necnon Andronicus Contoblanca, Græcarum literarum peritia florentes, iisque edocendis occupati.

PLA-

PLATONIS DEFENSIO.

§. XXII.

Recenſenda venit hic Platonis Defenſio a Beſſarione compoſita, de qua multa diſſerentem vidimus Alerienſem in Præfationibus ad Aulum Gellium, & ad Strabonem. Ea in quinque libros dividitur, quibus titulus: *Beſſarionis Cardinalis Sabini, & Patriarchæ Conſtantinopolitani libri V. adverſus Calumniatorem Platonis.* Iisdem ſextus adjungitur cum hoc titulo: *Liber de Natura, & Arte adverſus Georgium Trapezuntium Cretenſem* (*b*). Nulla in Codice, quem in manibus habeo,

(*b*) Nitida hæc editio Bibliothecam noſtram publicam ornat. Noſtrum etiam exemplar anni notatione caret, ſed opus hoc A. 1469. typis exſcriptum eſſe, ex ipſius Cardinalis BASSARIONIS epiſtola ad Marſilium FICINUM, (cui illud dono miſit, eo anno idibus Sept. data didici, quam, cum brevis ſit, hic recitare juvat. Ita autem Vir quondam ſummus: „Spectate docteque Vir, amice noſter. Su-
„perioribus litteris elucubratum opus noſtrum & nuper editum:
„IN DEFENSIONEM PLATONIS, nos ad te miſſuros promiſimus,
„cum ob ingenium tuum, & Platonicæ doctrinæ ſtudium eximium:
„tum ut quid nos ex illo fonte hauſerimus, facile perſpicias, &
„legas. Siquid enim in hac induſtria noſtra vel eloquentiæ vel bo-
„narum artium cognitionis eluxit: ſi quid fuimus, id omne vel
„nos ab illo accepiſſe, vel ipſum ſibi ſe defendendo ſuppeditaſſe, fa-
„cile exiſtimari patimur & volumus: quod non nihil quoque ad
„illius laudem pertinere videtur, ut ſuis viribus, ſua amplitudine
„cauſam pro ſe dixerit, alieno auxilio non eguerit, voci tantum
„patroni locum reliquerit ac ſtudio. Hunc librum ad te dedimus
„iis, qui curam hic gerunt rerum illorum ex Medicis: quo mitten-
„do cum fidei & promiſſo noſtro omnino, tum ſtudiis tuis atque
„animo erga Platonem non nihil ſatisfactum eſſe putamus. Bene
„vale, & an librum acceperis, nos facies certiores. Ex urbe idi-
„bus

Digitized by Google

beo, anni notatio, ſed in fine leguntur verſus: *Aſpicis illuſtres &c.* qui probant libros illos typis excuſos fuiſſe multo ante Aldinas an. 1503. & an. 1516. Editiones, quas proinde immerito tanquam principes memorat Fabricius Bibl. Gr. Vol. X. Opus ſuum inſcripſerat Georgius, *Comparationem Platonis, & Ariſtotelis*, illudque a Georgio ſcriptum fuiſſe in gratiam PAULI II. ægre ferentis Platonicos Academiæ Romanæ, tradi affirmat Fabricius in laudato Vol. X. & ad Diarii Veneti Tomum XV. Lectores amandat. Ex paulo ante laudatis Alerienſis Præfationibus nil minus arguitur, quam PAULUM Georgio in hac cauſa potius quam Beſſarioni faviſſe. Nil autem iniquius, quam ſapientiſſimo, & religioſiſſimo Beſſarioni notam inurere impenſi patrocinii Romanis illis Academicis, quos PAULUS juſto odio inſectabatur, ut dictum eſt Vindic. C. I.

Atque in hunc modum exhauſimus univerſum librorum illorum Elenchum, qui opera Conradi Svveinheim, & Arnoldi Pannartz, horum typis Joanne Andrea Epiſcopo Alerienſi hortatu, ope, aſſidua inſpectione

„bus Septembris. MCCCCLXIX. Inſerta eſt illa Epiſtolis Marſilii FICINI Venetiis A. 1495. in fol. excuſis Lib. I. f. VI. ubi etiam FICINI reſponſum legitur, Platonis & BESSARIONIS laudibus turgens. Luculenter hanc ipſam editionem deſcripſit, opusque copioſe recenſuit S. R. ac Celeberr. Theologus Auguſtanus D. Jac. BRUCKERUS, amicus meus veteranus, in *kurzen Fragen aus der philoſophiſchen Hiſtorie*, Tom. V. p. 1504. ſqq. qui & de Beſſarionis vita ac meritis erudite expoſuit in Hiſtoria Critica Philoſophiæ Tom. IV. Part. I. p. 43. ſqq. Eleganter præſertim ac docte ejus res geſtas & ſcripta enarravit D. C. F. BOERNERUS in egregio libro de doctis hominibus Græcis literarum Græcarum in Italia inſtauratoribus, p. 36. ſqq. qui etiam Platinæ panegyricum in laudem illius ſcriptum p. 81. ſqq. recudendum curavit, libroque ſuo graphicam effigiem Viri præſtantiſſimi ex pereleganti pictura, quæ exſtat Venetiis in Schola S. Mariæ Charitatis, æri inciſam præfixit.

Digitized by Google

ctione adlaborante, lucem aſpexerunt (*c*), illuſtraruntque quam maxime PAULI II. Pontificatum, cujus munificentia factum eſt, ut præſtantiſſimæ illæ optimorum Scriptorum Editiones prodirent maximo rei literariæ beneficio. Libros vero a nobis usque modo in hac Appendice recenſitos (*d*) exacte reſpondere earundem Editionum numero, certo

(*c*) Multo rariores eſſe reliquorum veterum typographorum editionibus libros, a Conrado Schweinheim & Arnoldo Pannarz excuſos, evincunt locupletiſſimarum bibliothecarum Catalogi, in quibus vel plane nullum, vel vix unum alterumve eorum obvium deprehendes. UFFENBACHIUS, qui incredibili, nec infelici induſtria, haud parcens ſumptibus, antiquas hujuscemodi editiones conquiſivit, prorſus nullam ab illis eximiis typographis profectam nanciſci potuit, quod ex Appendice Tomi II. Bibliothecæ ejus Univerſalis patet. In Joannis MORI, Epiſcopi olim Norvicenſis, Catalogo librorum, ſub artis typographicæ primordia, vel temporibus ab ejus inventione haud ita remotis impreſſorum, qui ſecundo tomo Catalogorum librorum MSS. Angliæ & Hiberniæ f. 379. ſqq. inſertus eſt, nonniſi Cypriani Opera a noſtris typographis A. 1471. excuſa inveniuntur. Chriſtianus Gottlieb SCHWARZIUS in Indice librorum paulo poſt incunabula typographiæ impreſſorum, quos ſatis magno numero poſſedit, præter Ciceronis Officia & Paradoxa A. 1469. edita nullum memoravit. Poſtea vero nactus eſt editionem Lactantii Sublacenſem longe rariſſimam, uti ex ejus Document. de Orig. typogr. Part. I. p. 30. videre eſt. Arbitror, multa librorum ab illis venuſtiſſime impreſſorum exemplaria, rebus eorum ad incitas redactis, inter ſegeſtria & chartas emporeticas rejecta infeliciter periiſſe, quæ, ſi ſupereſſent, hodie a juſtis rerum æſtimatoribus inter illuſtrium bibliothecarum cimelia referrentur.

(*d*) Extrema antiquiſſimarum editionum raritas non inde tantum derivanda eſt, quod tempus edax rerum eas magnam partem abſumſit, ſed etiam quod haud tanta exemplarium multitudo a priſcis typographis fuit impreſſa, ac hodie fieri aſſolet. Sic e. c. Joannes de Spira Venetiis A. 1469. centum duntaxat exemplaria Ciceronis Epiſtolarum familiarium & Plinii Hiſtoriæ naturalis (vid. MAITTAIRE Annal. typogr. Tom. I. p. 286. edit. II.) Vindelinus de Spira ejus frater

Digitized by Google

certo certius docemur ex ſupplici libello eorundem Typographorum, quem ii Sixto IV. ſuis, & Alerienſis Epiſcopi verbis obtulerunt. Elenchum illum ſuperius pluribus locis memoravimus; hunc autem integrum recitabimus, qualem nobis exhibet Alerienſis Epiſtola ad Lirani Operum Volumen Octavum editum Romæ in Domo Petri de Maximis an. 1472. (*e*).

Donati

frater A. 1470. ibidem Salluſtii quadringenta (l. c. p. 289.) ac Aemilianus de Orſinis Fulginas & Jo. Numeiſterus eodem circiter anno ducenta Ciceronis Epiſtolarum familiarium (l. c. p. 290.) excuderunt: ut alios taceam. Noſtri autem typographi Romani plerorumque librorum, qui ex eorum officina prodierunt, ducenta ſeptuaginta quinque tantum effinxere exemplaria, quatuor duntaxat trecenta, ac unius CCXX. Quamvis enim in eorum catalogo Lactantii volumina octingenta viginti quinque excuſa eſſe dicantur, id tamen de tribus ſimul editionibus, quarum prima in Monaſterio Sublacenſi A. 1465. altera Romæ A. 1468. tertia ibidem A. 1470. ab illis curata fuit, accipiendum eſt, ut uniuscujusque editionis fuerint CCLXXV. exemplaria, quæ ad unam ſummam relata efficiunt, DCCCXXV. Id quod etiam obſervandum eſt de Auguſtini eximio opere de Civitate Dei tribus vicibus ab illis impreſſo: Idem monendum de duabus Ciceronis Epiſtolarum famil. de Oratore librorum & operum Philoſophicorum , Virgilii item Maronis editionibus, ubi numerus exemplarium cujusque editionis CCLXXV. computatus efficit ſummam DL. Biblia cum opuſculo Ariſteæ, Thomæ Aquinatis Catena aurea, Ovidii Metamorphoſes & Elegiæ duobus conſtant tomis, atque adeo numerus exemplarium CCLXXV. duplicatus volumina quingenta quinquaginta conficit Hieronymi Epiſtolæ & varii libelli duobus tomis comprehenſi, bisque a noſtris typis exſcripti eadem ratione ad ſummam voluminum mille centumque aſſurgunt. Cum totidem voluminibus conſtare etiam editionem Gloſſarum Nicolai de Lyra in divinum Codicem ipſi typographi in ſuo indice teſtentur, illæ autem quinque tomis abſolvantur, ducenta duntaxat & viginti biblici ejus operis exemplaria excuſa eſſe, hinc apparet. Hæc MAITTAIRIUS non animadvertit.

(*e*) Singulis his libris, quos quidem videre ipſi licuit, addidit MAITTAIRIUS Annal. typogr. Tom. I. p. 14. ſq. edit. II. annos quibus in lucem prodiere, quos hic etiam adjicere conſultum duxi, ejus lacunas ſimul expleturus.

Digitized by Google

Donati pro puerulis, ut inde principium dicendi ſumamus, unde imprimendi initium ſumpſimus, numero trecenti - - 300

Lactantii Firmiani Inſtitutionum contra Gentiles, & reliquorum ejus Authoris Opuſculorum volumina octingenta viginti quinque - 825 (f)

Epiſtolarum familiarium Ciceronis volumina quingenta quinquaginta - - - - - - 550 (g)

Epiſtolarum Ciceronis ad Atticum volumina ducenta ſeptuagintaquinque - - - - - 275 (h)

Speculi humanæ vitæ volumina trecenta - - - 300 (i)

D. Auguſtini de Civitate Dei volumina octingenta vigintiquinque - 825 (k)

D. Hieronymi Epiſtolarum, & Libellorum volumina mille centum - - - - - - 1100 (l)

M. T. Ciceronis de Oratore cum cæteris volumina quingenta quinquaginta - - - - - 550 (m)

M. T. Ciceronis Operum omnium in Philoſophia volumina quingenta quinquaginta - - - - 550 (n)

L. Apuleii Platonici cum Alcinoo volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - - - - 275 (o)

A. Gelii Noctium Atticarum volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - - - - - 275 (p)

C. Cæſaris Commentariorum Gallici, & Civilium Bellorum volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - 275 (q)

Defenſionis Divi Platonis volumina trecenta - - 300 (r)

P. Vir-

(f) A. 1465. 1468. 1470. (g) 1467. 1469. (h) A. 1470.
(i) 1468. (k) 1467. 1468. 1470.
(l) 1468. 1470. (m) 1469. 1471.
(n) 1469. 1471. (o) 1469. (p) 1469.
(q) 1469. (r) 1469.

Digitized by Google

P. Virgilii Maronis Operum omnium volumina quingenta quinquaginta - - - - - 550 (s)

T. Livii Patavini cum Epitomate omnium Decadum volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - - - 275 (t)

Strabonis Geographi volumina ducenta ſeptuaginta quinque - 275 (u)

M. Annæi Lucani volumina ducenta ſeptuaginta quinque - 275 (x)

C. Plinii Veronenſis de Naturali Hiſtoria volumina trecenta - 300 (y)

C. Suetonii Tranquilli de duodecim Cæſaribus volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - - - 275 (z)

D. Leonis Papæ Sermonum volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - - - - - - 275 (aa)

M. Fabii Quintiliani Inſtitutionum Oratoriarum volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - - 275 (bb)

Continui, ideſt Cathena aurea D. Thomæ Aquinatis volumina quingenta quinquaginta - - - - - 550 (cc)

D. Cypriani Epiſtolarum volumina ducenta ſeptuaginta quinque - 275 (dd)

Bibliæ cum opuſculo Ariſteæ volumina quingenta quinquaginta - 550 (ee)

Silii Italici cum C. Calphurnio, & Heſiodo volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - - - - 275 (ff)

Orationum M. T. Ciceronis cum Invectivis omnibus in Antonium, Verrem, Catilinam, & cæteros volumina ducenta ſeptuaginta quinque - - - - - - - 275 (gg)

P. Ovidii

(s) duplex editio, utraque ſine anni nota.
(t) abſque anni indicio. (u) ſine temporis nota. (x) 1469.
(y) 1470. (z) 1470.
(aa) 1470. ac nonnulla exemplaria abſque anni indicio.
(bb) 1470. (cc) 1470. (dd) 1471.
(ee) 1471. (ff) 1471. (gg) 1471.

Digitized by Google

P. Ovidii Naſonis Metamorphoſeos, & Elegiarum omnium volumina quingenta quinquaginta - - - 550 (*bb*)

Nicolai de Lyra volumina mille, & centum - - 1100 (*ii*)

Solus itaque, ut apparet, Donatus pro puerulis locum in facta a nobis usque modo recenſione minime invenit. Nil mirum Editionem illam nobis minime occurriſſe, quam Annalium Typographicorum parens fatetur nec a ſeipſo unquam inſpectam (*kk*). Is ipſe T. 1. P. 1.

 pag.

(*bb*) 1471.

(*ii*) 1471. 1472. Atque hic acquievit CARDINALIS noſtri induſtria, cui illos potiſſimum libros recenſere conſtitutum erat, quos laudati typographi, Paulo II. Romanam ſedem occupante, excuderunt. Præter eos MAITTAIRIUS Annal. typogr. Tom. I. p.329. edit. II. duos modo affert, ab ipſis, ſocietate adhuc junctis, A. 1473. in fol. impreſſos, nempe Ariſtotelis Ethica, Leonardo Aretino interprete, ac Nicolai PEROTTI ad Pyrrhum Perottum, ex fratre nepotem, Rudimenta Grammatices. Ab eo tempore Arnoldus Pannarz ſolus in domo Petri de Maximis excudit iterata vice A. 1474. & 1476. PEROTTI Rudimenta Grammat. A. 1475. Hieroclis Comment. in Pythagoræ carmen aureum, Joſephi & Herodoti Hiſtorias, Statii Sylvas, Senecæ Epiſtolas, & Laurentii Vallæ Elegantias Latini ſermonis tandemque A. 1476. Quæſtiones Thomæ Aquinatis, & Hieronymi Epiſtolarum Partem primam. Obſervat MAITTAIRIUS l. c. p. 360. Arnoldum Pannarz, poſtquam ſolus imprimere cœperat, typos alios adhibuiſſe, quam qualibus antea cum Conrado Schweinheim utebatur.

(*kk*) Donatum illum, vel potius rudimenta grammatica pro puerulis elementariis unice edita, plane diſparuiſſe quis mirabitur? Solent enim iſtiusmodi libelli quotidiano & incauto tyrunculorum uſu deteri, tandemque prorſus aboleri. Nec vero probabile eſt, Romanam illam Donati editionem ligneis tabellis viſcido quodam atramento imbutis impreſſam fuiſſe, cum artifices noſtri typis fuſilibus omnes ſuos libros tam nitide excuderint, modusque libros tabulis ligneis imprimendi tum jam fuerit obſoletus. Sunt mihi duo folia Donati hujusmodi antiqui, typis ſingulariis, iisque majusculis, ſed fuſilibus, exſcripti, tegmini libri cujusdam veteris Germanici interius agglutinata.

Digitized by Google

pag. 271. ſecund. Edit. Donati Colonienſem Editionem refert apud Quentel 1457. at de ea dubitare ſe ſcribit, quemadmodum & de pluribus annorum ſubſcriptionibus, quas Editiones quædam veteres oſtentant, & quarum aliquot in Voluminis illius initio protulerat. Affirmavit mihi Romanus quidam Bibliopola, ſe Romanam illam Donati Editionem aliquando poſſediſſe, ac diligenter obſervaſſe, eam non quidem mobilibus formis impreſſam fuiſſe, ſed ligneis tabellis viſcido quodam atramento imbutis, quarum ſingulæ ſingulis foliis aptatæ noſcebantur. Hujuſcemodi utique fuit primum Typographicæ Artis tentamen, ad aliam tamen potius Artem referendum, Sculpturam ſcilicet. Fabricius Biblioth. Lat. P. II. Lib. IV. c. 7. memorat Donati Editionem Moguntiæ perfectam anno 1450. & aliam ea priorem Harlemi, ſed tabulis ligneis inciſis, ex Mariangeli Accurſii apud Angelum Roccam in Comment de Biblioth. Vatic. teſtimonio.

Diſſimulare tamen non poſſum, cauſam, qua adducti Conradus, & Arnoldus, atque Epiſcopus Alerienſis Elenchum illum Sixto IV. obtulerunt, parum favere PAULI munificentiæ, tot, tantiſque verbis ab ipſo Alerienſi in ſingulis fere ſeu Epiſtolis, ſeu Præfationibus teſtatæ. Eam cauſam Alerienſis in hunc modum exponit: *Vox quidem Impreſſorum, ſub tanto jam chartarum faſce laborantium, &, niſi tua liberalitas opituletur, deficientium, iſta eſt:* BEATISSIME PATER. *Nos de Germanis primi, tanti commodi Artem in Romanam Curiam Tuam, multo ſudore, & impenſa Deceſſoris Tui tempeſtate deveximus. Nos opifices librarios cæteros, ut idem auderent, exemplo noſtro incitavimus. Nos reliquis propter impenſarum magnitudinem a tanto negotio, vel omnino, vel maxima ex parte, quaſi in ſalebra hærentibus, recentiore animo, viribuſque geminatis cum ſumma difficultate reſtitimus. Jam tandem defeſſi nervis, & ſanguine divinam opem tuam imploramus.* Elenchum poſtea recitat, ac ſtatim ſubdit: *Horum omnium Voluminum ſumma, ut Tua Pietas perſpicit*, PATER BEATISSIME; *niſi fallimur, efficit; Codices duodecies mille quadringentos ſeptuaginta quinque. Acervum quidem ingentem, & nobis Impreſſoribus tuis ad ferendum, qua parte reſtat, intolerabilem, propter eam, quam in initio Epiſtolæ poſueramus, neceſſitatem;*

nam

Digitized by Google

nam ingens ſumptus ad victum neceſſarius, ceſſantibus emptoribus, ferri amplius a nobis nequit. Et ementes non eſſe, nullum eſt gravius teſtimonium, quam quod domus noſtra ſatis magna plena eſt quinternionum, inanis rerum neceſſariarum. At quod PAULI munificentiæ erga literas magis officit, legitur in alia Alerienſis Epiſtola, præmiſſa ſcilicet Lyrani Operum primo Volumini, quem locum pariter minime diſſimulabo: *Epiſtolas meas* (inquit) *cum ad* PAULUM II. *Pontificem, glorioſum Prædeceſſorem tuum, in librorum, quos recognoſcebam, initiis ſcriberem, ab eo tamen lectum iri non putabam. Gratis me, quod ad illum attinebat, magna ex parte laborare perſpiciebam. Sed non debebam illi eſſe ingratus, & haud mediocria beneficia ab eo prius accepta non potui absque reprehenſione negligere. Et prateres hæc mea eſt opinio, ſemper Principibus, qualescumque illi ſint, doctorum ingenia debere in laudibus eſſe liberalia. Fieri enim non poteſt, quin laudis ardore commoti, quod naturali inclinatione non facerent, id agant ad prædicationis vel fucatæ de ſua virtute confirmationem. Equidem quisquis ſit Princeps meus, illum ſemper colam, in primis tamen, ut optimus ſit, optabo.* Data eſt hæc Epiſtola die XIII. Novembris anni MCCCCLXXI. ac proinde menſibus quatuor nondum elapſis a PAULI obitu. In eo ipſo obitu deſcribendo PAULI exiſtimationi haudquaquam in eadem Epiſtola pepercit Alerienſis; his enim verbis Sixtum alloquitur: *Collige Te ipſum tecum, quandoquidem cæteros mortales, ut dignitate, ſic ſapientia, & ſpirituum gratia, & dono antecellis, ac mundi bujus fluxas rationes computa. Quid gemmæ profuerunt* PAULO, *conſidera, quid bonores raro hominibus pares Borſio contingentes, quorum utrumque ad humanæ, ut arbitror, miſeriæ exemplum, ad imbecillæ mortalitatis documentum, ne dicam confuſionem, intra paucos dies a ſumma dignitate ad miſerabilem exitum mortalium conditio pertraxit, ut alter eadem hora pene latiſſimus fuerit, & a cœna mortuus, & quo mortis genere, optime JEſu! quo inaudito! quo minime cogitato! Alter vix ſiccis primi, ac recentis de Urbe Ferrarienſi Ducatus privilegiis, longiore morte abſumptus contabuit, nulla mediocre ope juvandus.* Locos iſtos ex ipſiſmet Alerienſis Epiſtolis fideliter in medium protuliſſe, ingenuum, ut ſpero, animum meum Lectoribus commendabit. Ab eo nimis quam abfuiſſe Alerienſem

Digitized by Google

cenſebit, qui binas haſce Epiſtolas ad Sixtum cum omnibus aliis ad PAULUM conſcriptis comparaverit. Si juſta de PAULI munificentia conquerendi ei aderat cauſa, cur (ut unum dictum querimoniis ejus opponam) in Præfat. ad Gel. his verbis eundem compellat: *Ex quo Tua Clementiſſima Sanctitas ad altiſſimum Pontificatus gradum eſt aſſumpta, omnem penitus, tanquam ſub uberrimo gratiarum largitore, dedidici egeſtatem?* Immenſi ſumptus, quibus omnino neceſſe eſt obnoxios fuiſſe Typographos in Artis præſertim incunabulis, effecerunt, ut PAULI largitate aliquando non ſatis conſultum ſibi cenſerent. Meminerit Lector, vel ob unum librum in Latinum e Græco converſum (*ll*) 400. aureis donatum fuiſſe a PAULO Philelphum, ut vidimus Vindiciar. Cap. I.

P. CLAUDIUS PTOLEMÆUS.

§. XXIII.

Fabricius Bibl. Gr. lib. IV. c. XIV. loquens de Latina Ptolemæi Geographia, eam Romæ prodiiſſe ſcribit an. 1482. apud Nicolaum Haln

(*ll*) Xenophontis videlicet Cyropædiam. Nemo autem facile ſuperavit liberalitate in Philelphum Nicolaum V. quem literati longe munificentiſſimum Mæcenatem experti ſunt. Quum enim Philelphus Romam forte veniſſet, Neapolim profecturus, neque Pontificem adire cogitaret, a Petro Nocetano adductus, aureis nummis quingentis donatus, & in Secretariorum pontificiorum numerum honoris cauſa relatus eſt. Præterea indulgentiſſimus Pontifex ei promiſit ædes in urbe Roma pulcherrimas, lautiſſimum prædium in agro Romano, quod ſatis eſſet ad opipare & pro dignitate alendam univerſam familiam, & aureorum nummum decem millia, quæ deponerentur, apud quem Philelphus ex omnibus menſarium delegiſſet, quæ illi continuo numerarentur, ſi duo illa carmina Homeri Jliada atque Ulyſſeam Latine reddidiſſet. vid. Philippi BONAMICI Lib. de claris pontificiarum epiſtolarum Scriptoribus, p. 187. ſq.

Digitized by Google

Haln (*mm*), ſive Gallum, *qui primus* (inquit) *Typographiam Italiæ intulit*, PAULOQUE II. inſcriptam eſſe, & Ulmæ anno 1486. recuſam fuiſſe; ſubditque, Jacobum Angelum Florentinum Verſionem adornaſſe, quam Jo. Mabillonius Ms. Venetiis in Bibliotheca S. Antonii evolverit, ut ipſe affirmat T. 1. Muſ. Ital. p. 37. Hæc omnia Fabricius parum accurate. Memoranda enim ei erat primo loco Ptolemæi Editio Vicentina an. 1475. per Hermanum Levilapidem Colonienſem; deinde Nicolaus Haln, ſive Gallus, haudquaquam ei habendus erat pro primo, qui Typographiam Italiæ intulerit; ac tandem de Verſione Jacobi Angeli non ita loquendum, ut eam typis nunquam editam fuiſſe cenſere videatur. Binæ, quas ad manus habeo, Editiones tradita a Fabricio certius explicabunt, ſeu emendabunt.

Ut autem ab ea incipiam, quæ Jacobi Angeli ad Alexandrum V. Epiſtolam exhibet, miretur profecto Lector, dum intelligit ad ejus calcem hanc notam apponi: *Hic finit Coſmographia Ptolemai impreſſa opera Dominici de Lapis Civis Bononienſis an. MCCCCLXII. menſe Junio* XXII. *Bononiæ*. Quis unquam ſomniavit an. 1462. Typographiam jam Bononiæ ſedes fixiſſe, ante Sublacenſes ſcilicet typos, & Romanos, & unico anno poſt Venetos, ſi tamen libro huic inſcripto, *Decor Puellarum*, a Nicolao Jenſon Venetiis, ut certo creditur, impreſſo

(*mm*) Mendoſe pro *Hahn*, vel *Han*. Sed nec hoc quidem mendo caret, Udalrici enim, haud Nicolai nomine gaudebat ille typographus, de quo in Diatriba præliminari, Obſ. VII. diſſerui. FABRICIUS ſe vidiſſe illius editionis exemplar, membranæ impreſſum ait in Bibliotheca Abrahami HINCKELMANNI, quod poſtea ad manus Jo. Chriſtophori WOLFII pervenit. Amicus vero quidam, qui oculis ſuis exemplar iſtud venuſtiſſimum uſurpavit, RAIDELIUM docuit ex ſubſcriptione ſub calcem adjecta, FABRICIUM lapſu memoriæ editionem Ulmenſem anni 1482. pro Romana falſo venditaſſe, Nicolai *Donis* nomine in Nicolai GALLI converſo. Cæterum Cl. Ptolemæum & Dionyſium Halicarnaſſeum hac de cauſſa CARDINALEM reliquis adjeciſſe, quilibet facile videt, quia Paulo II. nuncupati fuerunt.

Digitized by Google

preſſo vitium nullum in numeris ineſſe cenſeatur? De illa ne verbum quidem apud Annalium Typographicorum parentem, imo nec apud ipſum Peregrinum Orlandum, cujus tamen maxime intererat, ad Patriæ ſuæ decus, Editionis illius vetuſtatem jactare, atque in eum modum Civis ſui ſtudio invectæ in Italiam Typographicæ Artis gloriam adjudicare. Adeo vero Orlandus eo præſtigio captus non fuit, ut contra ſuo in Opere non alium locum Bononienſibus typis aſſignaverit, niſi poſt Venetos, Romanos, & Mediolanenſes (de Italis tantum loquimur) annumque 1471. ſtatuerit, quod Balthaſſar Azzoguidi, Civis Bononienſis, primus in ſua Civitate Artem Impreſſoriam invenit, cujus rei fidem facere ait Ovidii Metamorphoſeon Editionem eo anno Bononiæ perfectam. Dominicum autem de Lapis neque Bononienſem Civem facit Orlandus, nec librum ullum ab eo ante annum 1476. Bononiæ impreſſum allegat. Valde tamen mirum, nihil prorſus de eo præſtigio, ſeu de ea Editione reſciviſſe neque Maittaire, neque Orlandum, neque Fabricium, neque alios, uno excepto Raidelio, cujus accipio extare lucubrationem nuperrime vulgatam Norimbergæ (**) de Codicibus ſive manu exaratis, ſive editis Ptolemæi, & in ea ſat ſolide ab Authore confutari Bononienſis illam Impreſſoris fraudem. Hæc ſtatim mihi occurrit perlecto Monito, quod poſt notam paulo ante recitatam reperitur; in eo ſiquidem commendatam diligentiam deprehendi Hieronymi Manfredi, & Petri Boni in Tabulis, & characteribus caſtigandis, nec non Galeotti Martii, & Collæ Montani, ultimo vero loco Philippi Beroaldi, *extremam* (inquit) *emendationis manum impoſuit Philippus Beroaldus, qui Plinii, Strabonis, reliquorumque id genus Scriptorum Geographiam cum Ptolemæo conferens, ut eſſet quam emendatiſſima,*

(**) Commentatio hiſtorico-literaria de Claudii Ptolemæi Geographia, ejusque Codicibus tam MSS. quam typis expreſſis conſcripta a Georgio Martino RAIDELIO V. D. M. prodiit Norimbergæ A. 1737. in 4. Is hujus editionis exemplar, quod in Bibliotheca Acad. Lipſ. Paulina aſſervatur, perluſtravit, & Cap. VI p. 39. ſq. iisdem fere, quibus Cardinalis noſter, rationibus docuit, errorem in anno impreſſionis deſignando commiſſum eſſe.

Digitized by Google

tiſſima, *elaboravit.* Philippus Beroaldus Senior (ut hunc unum in fraudis documentum adducam) obiiſſe fertur Bononiæ an. 1504. ætatis annor. 51. ac proinde nondum duo luſtra attigerat, dum eam Editionem Dominicus de Lapis in lucem emiſit, ſeu emiſiſſe ſomniatur.

Veniamus nunc ad aliam Editionem Ptolemæi, quæ hujus loci magis eſt, ſtatimque Epiſtolam a Nicolao Donis, (*oo*) quem an. 1470. Voſſius pag. 413. de Scient. Mathem. e Ficino tradit emiſiſſe in Coſmographiam Ptolemæi Opus mirandum cum novis Tabulis, recitemus.

BEATISSIMO PATRI PAULO SECUNDO PONTIFICI MAXIMO
Donis Nicolaus Germanus.

N*on me fugit*, BEATISSIME PATER, *cum quæ ſummo ingenio, exquiſitaque doctrina Ptolomeus Coſmographus pinxiſſet, in his aliquid novari attemptaremus, fore, ut hic noſter labor in multorum reprehenſiones incurreret. Omnes enim, qui hanc noſtram picturam, quæ his Tabulis, quas ad Te mittimus, continetur, viderint, geometricæ præſertim rationis ignari, ab ea, quam Ptolomeus edidit, paululum abhorrentem, certe nos, vel imperitiæ, vel temeritatis arguent. Nam plane nos, aut ignoraſſe quid egerimus, aut temere auſos eſſe tantum opus contaminare, affirmabunt; cum aliqua ex parte illud immutatum cernent. Non enim ſibi perſuadere poterunt, nec fas eſſe exiſtimabunt, ut tantum Virum, quantus certe is fuit, ſi quis alius pingendi orbis terrarum melior modus extitiſſet, is eum fugiſſet, cum is ſolus fuerit, qui tantum inter multos excellentes Coſmographos, qui ante ſe floruerunt, modum videret,*

quo

(oo) Nicolaus ille DONIS fuit Monachus Germanus Ordinis Benedict. in Monaſterio, ut ferunt, Reichenbacenſi, de quo vid. TRITHEMIUS in Catalogo Virorum literis illuſtrium p. 162. & in Tract. de Scriptoribus eccleſiaſticis p. 370. nec non Conr. GESNERUS in Bibliotheca univerſali p. 519. ac præſertim RAIDELIUS l. c. p. 31. ſqq.

quo ſitum terrarum omnium in Tabulis primus pingeret. Quaſi vero aut princeps ille poetarum Homerus a Piſiſtrato in ordinem redigi, aut Lucretii divinum opus a Cicerone emendari, aut Toletanæ Tabulæ ab Alfonſo corrigi nequiverint. Quare hi ſane erunt, qui nihil laudabunt, niſi quod ſe intelligere poſſe confidant, quemque ſperabunt animo, & cogitatione complecti valere, eumdem bene pingendi orbis modum eſſe cenſebunt. Et cum obruentur crebritate linearum longitudinalium non æque diſtantium, raram illam, & vaſtam Ptolomei picturam, rectis lineis diſtinctam, ſe malle, quam hanc noſtram multiplicem, & commodam pendentibus, inclinatiſque lineis diſcretam dicent. Neque vero nos hæc ideo nunc dicimus, ut quidquam in Ptolomei pictura reperiatur, quod corrigi, vel emendari, aut in ordinem redigi oportuerit, cum omnia ita ſcienter, ac prudenter Vir ille pinxerit, ut nihilquid ad rationem ſitus terrarum in ejus Tabulis deeſſe videatur; ſed ut illos ſuæ argueremus ignorantiæ, qui & cum nullam talium rerum ſcientiam, aut cognitionem teneant, tamen invidia, & livore quodam moti, ſi quid viderint ab altero editum, quod ingeniis eorum impar ſit, ſtatim ad ejus vituperationem ſe ſe convertunt. At ſi qui erunt, qui non omnino Geometriæ, ſive Coſmographiæ experted ſint, quique ipſum Ptolomeum ſæpius legerint, ac picturam deinde noſtram placata mente contemplaverint, hi certe nos aliqua laude dignos, non reprehenſione, ut illi, putabunt. Perſpicient enim nos opus ita difficile, atque arduum ſuſcepiſſe, & ita egregie ad exitum perduxiſſe, ut illud mirari cogantur, præſertim cum nulla in re nos a Ptolomei intentione, licet a pictura, paulum deſciviſſe comperient. Quod ut jam ita eſſe plane perſpicere poſſis, BEATISSIME PATER, quæſo, quid ille dicat, & quod nos fecerimus, parumper attende. Ptolomeus quidem, quod facile in ejus intellexerim ſcriptis, duplicem pingendi orbis terrarum rationem eſſe tradit. Unam enim eſſe aſſerit, cum pro circulis, ut ejus verbis utar, quæ ſunt in octavo circa principium libro, rectas lineas facimus, particularibus in Tabulis meridianos ipſos non inclinatos, & flexos, ſed invicem æque diſtantes adnotamus. Alteram vero eſſe teſtatur, cum ejus formam ubique flexis, & inclinatis lineis, ut ipſius terræ ſitus ratio exigit, & non rectis exprimimus. Harum porro rationum, etſi poſteriorem magis approbat, utpote artificioſiorem, ac ſubtiliorem, ſuperiorem

periorem tamen in pictura ſecutus eſt, ſi ejus eſt quæ circumfertur in antiquis exemplaribus pictura, non procul a veritate eſſe affirmans, ſi quis in pingendo orbe pro circulis, ut modo diximus, rectas lineas fecerit. Nos autem BEATISSIME PATER, *cum per ocium ejus ſcripta legeremus, quæ a profeſſione noſtra non abhorrebant, & in eum locum, qui eſt in primo ejus fere libro circa finem, forte legendum incidiſſemus, ubi præcipit, magis tenendum eſſe in pictura quid ſit æquius, & ſerioſius, quam quod ſit facilius, debiliusque, repente hac lectione admoniti cogitare cæpimus, quo pacto nos aliquid gloriæ compararemus. Rati enim nobis oblatam eſſe occaſionem, uti aliquod induſtriæ noſtræ monimentum extaret, & ingenii vires eluceſcere poſſent, ſtatim picturam orbis propera ratione aggreſſi ſumus, quæ apud illum approbatior videretur. Nam & pro circulis inclinatas lineas non æque diſtantes ſingillatim omnes, ut ipſe fieri monet oportere, ubi opus fuit, fecimus, & locorum ſitus inter paralellos incidentes ex utrorumque rationibus conjectavimus, & quo facilius ratio diſtantiæ cujuslibet loci, quod per lineas, & æque diſtantes, diſcerni non ſatis plane poterat, certior extaret, miliarium continentiam cujuslibet gradus longitudinis quibusdam paralellis ſingularum Tabularum adſcribere non recuſavimus. Quid dicam? Quod cum in antiquorum Exemplarium tam Græcorum, quam Latinorum pictura diſcerni non poſſit, cujus quantitatis, & formæ quælibet inſularum ſit, quæ proprias deſcriptiones non habent, & quot, aut qui in quacumque regione, vel provinciæ populi, vel gentes, oppida, urbes, flumina, portus, lacus, & montes continerentur, & ſub quo cælo poſita, aut in quam partem vergant, nos quædam certe ex illis, non tamen omnia, ſed cuncta quæ a Ptolomeo ipſa etiam in ſcriptis ſuis adnotata ſunt, ita diſtinximus, ac lineis quibusdam punctim ſignatis vallavimus, ipſas etiam inſulas minores ad proprias formas, præter Ptolomeum, redegimus, ut quivis etiam imperitus facile diſcernere valeat. Atque etiam ipſam formam picturæ, quæ certe apud alios vaſtiſſima erat, & communem librorum excedebat rationem, ad eum modum redegimus, ſervatis diligentiſſime omnium locorum dimenſionibus, qui cunctis ſit poſthac illam intueri volentibus gratior futurus. Reliqua vero illius tanti Viri, ut prius erant, intacta reliquimus, niſi quantum ſtudii amor, & legentium ſollicitudo ſuggeſſit, ut ob mutationes tempo-*

Digitized by Google

rum, quæ frequenter in orbe contingunt, duas nobiliſſimas regiones, Hiſpaniam videlicet, & Italiam, quarum loca ob Auctoris vetuſtatem pro maxima eorum parte a notitia noſtra deciderunt, ipſas etiam regiones, quæ in Oceano Sarmatico ſe ingerunt, & ſub paralello per circulum Arcticum ductum occurrunt, Daciam utpote, Scaniam, Norbegiam, Gottiam, Svetiam, Gronelandiam, & regiones ſibi adhærentes cum inſulis adjacentibus, de quibus profecto Ptolomeus ipſe, aut Strabo, diligens, nec aliquis Coſmographus deſcriptionis monimenta relinquit, certa ratione jungendo noſtratim poneremus. Nacti autem conſilio ſalutari quod honori conferet, & famæ, præfatas regiones in ſuis locis, ut intueri fas eſt, non deſcribendo, ne tanti Viri opus forte ſcinderemus, ſed pingendo per regna ſua ſingulariter exornavimus. Cum hanc igitur picturam, ut dixi, pene ad votum abſolviſſemus, eamque dicare alicui Principi cogitaremus, nemo ſane te dignior nobis viſus eſt, BEATISSIME PATER, *quem hujuscemodi munere digniſſimum exiſtimarem. Cui enim terrarum omnium ſitum dedicare debeo, quam illi Principi, cujus Sanctiſſimis pedibus quicquid extremo Oceano circumdatur, ſubjici oportet, & quod a Sacerdote provenit, id ad omnium Sacerdotum Archimandritam referendum erit? Nec moveat quemque,* BEATISSIME PATER, *ſi hoc ipſum opus ad Eſtenſem Ferrariæ Principem, priusquam ad Te delatum ſit. Quis enim ita iniquus rerum judex erit, ut quempiam in honore a me Tibi prælatum putet, cum univerſum Chriſtianum nomen ita Apoſtolicæ Sedi primas partes ſine controverſia concedat, ut nullus niſi longo relicto intervallo ſecundus habeatur? Neque enim putavi, neque fas eſſe duxi, quicquam ad te antea mittere, quam id non modo ſumma induſtria lucubratum, expolitumque eſſet, verum etiam multorum doctiſſimorum hominum judicium ſubiſſet. Non enim Pontificii faſtigii oblitus, alium Summo Pontifici præpoſui, ſed humanæ imbecillitatis memor, & noſtræ tenuitatis conſcius, meo de re tanta judicio non prius ſtandum decrevi, quam maximis mathematicis eſſet approbatum. Quamobrem miſſum eſt illud a nobis in eam Urbem, in qua, & auctoritate Principis, qui bonis ingeniis favet, & copia doctorum Virorum, qui & quoniam univerſam ætatem in hoc litterarum genere contriverunt, exactiſſime poſſent, & quoniam ſtudiorum conjunctione, & diuturna conſuetudine mihi amiciſſimi eſſent, maxime vellent,*

lent, emendatius redderetur. Nunc igitur ab illis ſpectatum, atque probatum, viſum dignum eſt, quod non modo elimatius, verum etiam, quoad a me fieri potuit, materia ipſa ornatius in Pontificiæ majeſtatis conſpectum tandem prodiret. Tuæ igitur Clementiæ fuerit, BEATISSIME PATER, *ita a ſervulo devotiſſimo munus accipere, ut & ſi reliqua in eo, non ampliſſimis omnino laudibus digna ſint, ſedulitatem tamen, & devotionem noſtram erga Sanctitatem Tuam non aſperneris. Eſt enim ejus; quæ in Pontificio culmine majeſtas eſt, non quantum dederim, ſed quantum dare voluerim, intueri. Supplicem ama.*

Hanc Epiſtolam deſumpſimus ex Ulmenſi Editione, ad cujus calcem ita legitur: *Impreſſum Ulmæ opera, & expenſis de Aldario* (pp) *de Venetiis per proviſorem ſuum Joannem Reger An. Dom. MCCCCLXXXVI. XII. Kal. Auguſti.* Haud ſilebo ad manus mihi eſſe Domitii Calderini Veronenſis, Secretarii Apoſtolici, ad Auguſtinum Maſeum Veronenſem, Scriptorem Apoſtolicum, emendationum, & interpretationum in Statii Papinii Sylvas Brixianam Editionem an. 1475. per Magiſtrum Henricum de Colonia, ex cujus Præfatione, Epiſtola ſcilicet ipſius Domitii ad Auguſtinum, docemur eundem Domitium Ptolemæi Tabulas recognoviſſe, emendataſque publici juris feciſſe. Et quoniam de Domitii Calderini lucubrationibus plura tradidimus in Part. I. lib. de Brix. Literat. ut ea ipſa majorem hic lucem accipiant, integrum textum afferemus ex ea Epiſtola, qua quæcumque usque ad id temporis Domitius conſcripſerat, ipſe recenſet: *Quæ omnia tuo nomine emendare, & explicare conati ſumus: quanta ingenii, doctrinæque laude non auſim affirmare. Tantis certe laboribus, Auguſtine, ut majores non attulerint nec Martialis argutiæ, nec velatæ Juvenalis reprehenſiones, nec affectatæ tenebræ Ovidii in Ibin, nec inconſtantes Propertii ſenſus, & quæſitæ fabulæ, nec conciſa Tranquilli ſenſa, nec Ænigmata Ciceronis ad Atticum, aut ejus in Verrem iracundia eloquentiæ artibus inſtructa (quæ omnia partim compoſitis, partim etiam editis Commentariis interpretati ſumus) denique*

(pp) Errore typographico, pro *expenſis Juſti de Albano.* conf. RAIDELIUM l. c. p. 48. ſq.

Digitized by Google

denique nec varietas Obſervationum noſtrarum, quas nuper tribus libris collegimus, nec recognitio Tabularum Ptolemæi, quæ noſtra jam emendatione imprimuntur, nec Opera, quæ e Græco in Latinum interdum vertimus.

In hæc Domitii verba, in hanc ejus Epiſtolam oculos ſi conjeciſſet Author Ver. Illuſtr. (*qq*) haudquaquam, ubi de eo agit, affirmaſſet, nemini adhuc compertum fuiſſe, Domitium Calderinum Ptolemæi Tabulis emendandi operam collocaſſe, idque primum ſibi innotuiſſe ex pretioſo Codice manuſcripto, quo fuerat jam ab aliquot annis potitus, quoque inter plura, vel omnino rara, vel prorſus ignota, Domitii Opera, continentur emendationes illæ in Ptolemæum Sixto IV. nuncupatæ. Inde ipſe Præfationis partem affert, quam juvat hoc loco exſcribere, quum ad argumentum noſtrum faciat: *Hoc opus tam varium, tam ſubtile, tam divinum, jampridem in Codicibus Latinis admodum depravatum, quum, ut emendarem, Conradus Germanus, a quo, ut ſcis, Romæ formandorum librorum induſtria primum profecta eſt, olim diligentiſſime peteret, feci id quidem non tamen tam libenter, quam laborioſe. Nam multa ex Mathematicis diſciplinis ſumenda fuerunt, ut viginti ſex Tabulæ æneæ (totidem ſunt a Ptolemæo in univerſum Orbem diſtributæ) diligenter exculperentur, ex quibus veluti exemplis reliqui ducerentur libri. Numeri, quibus longitudo, latitudoque deſignatur, librariorum culpa vel inverſi, vel confuſi, in ſua quisque ſpatia explicati a nobis, & collocati ſunt. Græcorum Codices una contuli, & ex iis vetuſtiſſimum quendam a Gemiſto Spartano, Philoſopho, Mathematicoque nobiliſſimo olim emendatum; ad cujus præſcriptum, & exemplum hunc noſtrum multis in locis tota plerumque pagina correxi, locorum nomina ferme omnia depravata ad certam redegi lineam, ac ſcriptionem. Quæ minus eleganter in Latinum converſa fuerant, non attigi, tametſi offendebant; quæ autem perverſa videbantur, in quo genere multa reperi, ad rerum ſenſum traducere*

(*qq*) Marchio Scipio MAFFÆUS, cui Veronam illuſtratam orbis eruditus debet.

Digitized by Google

cere conatus ſum. Hæc Domitius. Quæ quum comperta nobis reddiderit egregia in Veronenſium Scriptorum Catalogo texendo Viri Clariſſimi diligentia, nemo juſte queratur, ignotam eidem fuiſſe, Domitii in Statii Sylvas Præfationem, ex qua tamen præterea dignoſcimus, Domitii in Ptolemæum Opus typis excuſum lucem aſpexiſſe (*rr*). Eidem

H h 3 Cla-

(*rr*) Hanc Ptolemæi editionem rariſſimam pariter ac venuſtiſſimam, nemini antehac eorum, qui vel annales typographicos, vel bibliothecas veterum ſcriptorum condidere, viſam aut cognitam ſervavit in bibliotheca ſua completiſſima C. G. SCHWARZIUS, poſt cujus obitum illa in illuſtrem Ebnerianam, quæ Norimbergenſi civitati ornamento eſt, migravit. In calce ejus ſequentia verba literis majuſculis ſunt expreſſa: CLAUDII PTOLEMÆI ALEXANDRINI PHILOSOPHI GEOGRAPHIAM ARNOLDUS BUCHKINCK E GERMANIA ROMÆ TABULIS ÆNEIS IN PICTURIS FORMATAM IMPRESSIT. SEMPITERNO INGENII ARTIFICIIQUE MONUMENTO. ANNO DOMINICI NATALIS M. CCCC. LXXVIII. VI. IDUS OCTOBRIS SEDENTE SIXTO IIII. PONT. MAX. ANNO. EJUS VIII. *Fol. majore.* In præfatione ad Pontificem inter reliqua hæc leguntur: *Ne librariorum inſcitia Tuæ Sanctitatis aures offenderet, Domitius CALDERINUS, Veronenſis, cui hujus emendationis provincia demandata fuerat, eam curam ſuſcepit, aſſerens, cum vetuſtiſſimo Græco, manu Gemiſthi Philoſophi emendato, Latinos Codices ſe collaturum, Magiſter vero CONRADUS SWEYNHEYM, Germanus, a quo formandorum Romæ librorum ars primum profecta eſt, occaſione hinc ſumpta, poſteritati conſulens, animum primum ad hanc doctrinam capeſſendam adplicuit; ſubinde mathematicis adhibitis viris, quemadmodum tabulis æneis imprimerentur, edocuit, triennioque in hac cura conſumto, diem obiit. In cujus vigiliarum laborumque partem non inferiori ingenio ac ſtudio ARNOLDUS BUCKINCK e Germania, vir apprime eruditus, ad imperfectum opus ſuccedens, ne, Domitii Conradique obitu, eorum vigiliæ emendationeſque ſine teſtimonio perirent, neve virorum eruditorum cenſuram fugerent, immenſæ ſubtilitatis machinamenta examuſſim ad unum perfecit.* Conrado igitur Schweinheim, Germano, artis figurarum æneis tabulis exprimendarum inventio accepta eſt referenda. Sunt autem huic Ptolemæi editioni adjectæ XXVII. Tabulæ geographicæ,

Clariſſimo Viro debemus notitiam ex eo ipſo Codice deſumptam, Confutationis a Domitio Calderino conſcriptæ adverſus Georgium Trapezuntium, Platonis impugnatorem, cui aſpera in eundem præit Invectiva Franciſco Baroccio, Terviſino Epiſcopo, transmiſſa. Epiſtola autem Jo. Antonii Campani ad Calderinum, quinque libros a Beſſarione ad Platonis defenſionem compoſitos collaudans, quæ ex eodem Codice ibidem, tanquam nondum edita, allegari videtur, exſtat inter impreſſas ejusdem Campani lib. V.

DIO-

phicæ, quarum elegantia, judice SCHWARZIO, in hoc forte omnium primo ſpecimine, omnes ſpectatores lectoresque facile in admirationem rapit, vid. Viri laudatiſſimi Document. de typographiæ origine Part. III. p. 8. Recenſuit ſplendidam hanc editionem RAIDELIUS l. c. p. 43. ſqq. ac inter cætera obſervavit, imprimendarum tabularum tunc temporis rationem peculiarem fuiſſe: videri enim hodienum exemplaris illius tabulas in ea parte, quæ figuras oſtendit, lævigatas, in altero vero comparere veſtigia lintei, quod inter imprimendum ſuperimpoſitum fuerat chartæ, cum hodie loco illius adhibeatur charta pura cum panno. Nemo autem rerum gnarus facile ipſi aſſentiet, Arnoldum Pannarz & Arn. Buckinck unum eundemque hominem fuiſſe venditanti. Certe Conradus Sweinheim & Arnoldus Pannarz ſociata jam opera Ciceronis epiſtolas familiares & Lactantium A. 1467. ac ſequenti Romæ excuderunt: Arnoldus vero Buckinck demum poſt obitum Conradi Sweinheim, quem in annum 1476. refert RAIDELIUS p. 45. ad imperfectum opus coſmographicum Ptolemæi e Germania acceſſit, illudque ad finem feliciter perduxit, quod verba ex præfatione ſupra recitata evincunt. Idem quoque errat, dedicationem anonymam a Joanne Andrea, Alerienſi Epiſcopo, ſcriptam eſſe perhibens, cum is jam A. 1475. quod ſupra ex ejus epitaphio oſtendi, inter mortales eſſe deſierit. Cæterum de laudato Arnoldo Buckinck nihil præterea, quod ſciam, innotuit.

Digitized by Google

DIONYSIUS HALICARNASSENSIS.

§. XXIV.

Quemadmodum præſtantiſſimi Cosmographi Strabo, & Ptolemæus PAULI II. tempora illuſtrarunt, ut vidimus, par erat, ut pro eo, quo Cosmographia, & Hiſtoria vinculo colligantur, ſocius eisdem accederet Dionyſius Halicarnaſſenſis, Romanarum Antiquitatum doctiſſimus, & celeberrimus ſcriptor. Hujus itaque libros XI. latine quum traduxiſſet Lapus Biragus, eos PAULO II. nuncupavit. Eſt mihi in manibus Tarviſina an. 1480. Editio, quæ ejusdem Lapi Epiſtolam modo recitandam cumulat, quod Eccleſiam Dei, populosque in ſumma tranquillitate contineret, Sedem Apoſtolicam exornaret, muros Urbis reſtitueret, magnificentiſſimeque ædificaret. Ejusdem juſſu ſe Hiſtoriam Dionyſii tranſtuliſſe ſubdit in latinum ſermonem, eaque commendata, ad PAULI laudes regreditur, ſcribens ipſius nomini Opus illud dedicandum fuiſſe, propterea quod in eundem viſa ſit divina munificentia contuliſſe quidquid amplum, aut decorum ſit in hominibus, *ingenium ſupra naturam noſtram, divinos mores, virtutem, dotes corporis inſignes, interque cætera eam formæ dignitatem, quæ præ ſe quandam Pontificalem Majeſtatem ferat, videaturque ipſa per ſe reverentiam ab intuentibus exigere.* Poſtea PAULI Patriam pluribus verbis collaudat, & inter cætera: *Eſtque æque pulchrum, magnificumque naſci aliquem Venetiis Nobilem, quam alibi naſci Principem; hincque etiam fortunatius, quod ii commodis fruentes Principum, carent iidem Principum periculis, qua equidem felicitate non video quid haberi poſſit in humanis majus.* Illuſtria hæc Lapi teſtimonia ex ipſius Epiſtola jam Lector accipiat.

Clementiſſimo, ac Sanctiſſimo PAULO SECUNDO
Domino Noſtro Papæ.

Etſi, Pontifex Maxime, & Optime, ea eſt tua virtus, eaque Imperii magnitudo, ut ex multarum, maximarumque rerum cura diſtrahi opor-

oporteat in multas partes mentem tuam, utpote cujus unius providentia, moderationeque Orbis regitur; apparet tamen inter occupationes tantas tua quædam inſignis in hanc præclaram Urbem, quæ Te, ut Deum colit, diligentia, ſtudiumque laudabile, ut qui non modo præſenti ejus felicitati conſulas, Eccleſiam Dei, populosque tuos in ſumma tranquillitate continens, Templa, Sedemque Apoſtolicam exornans, muros Urbis reſtituens, magnificentiſſque ædificans, ſed extendens etiam cogitationes tuas usque ad Proceres illos priſcos Fundatores Urbis, tantique Imperii, honori eorum, ac famæ cum delectatione inſervias. Nam cum nullo modo magis referre gratiam meritis mortuorum poſſimus, quam per laudum, gloriæque eorum immortalitatem, ad quam præclari Viri referunt pene omnia, quamvis illi per Auctores noſtros laudati abunde, celebresque ſint, voluiſti Tu tamen eis externa quoque addere teſtimonia. Nec quemque moveat, quod hos Viros religioſiſſimos dixerim, qui veræ fidei ignari fuerint. Non illorum iſtud vitio, ſed temporum infelicitate accidit; quin hinc maxime cognoſci poteſt, quanta ſit vis diligenter obſervatæ religionis, cum per eam illi præcipue hanc Urbem ex parva maximam effecerint, & ad ſummum tandem culmen hoc Imperium extulerint. Quo exemplo innoteſcere Chriſtianis poteſt id, quod Tu curas, & quidem rectiſſime, Dei Vicarius, quanta eſſe debeat veneratio Religionis in fide vera, cum vires tantæ ejus fuerint etiam in fabuloſa. Ac ſic juſſu tuo eſt additum latinæ linguæ, quod reperitur apud Græcos ex Hiſtoria Dionyſii Halicarnaſei; & habebis nunc hos libros decem primos cum undecimo imperfecto, converſos in honorem tuum, cognituque ſane dignos. Nam etſi poteſt hæc materia videri exilior, quæ circa Urbis verſetur primordia, tenujora illa forſan, ſecutaque ſint alia longe illuſtriora, & quæ in ſe plus delectationis habeant; ſunt ubique tamen magnæ res Romanæ, & hic Auctor certe diligenter veſtigat Urbis ipſius origines, effertque magnifice; ſique opus totum inveniretur, incidere poſſemus in res majores geſtas cum veteribus, & cum novis hoſtibus Gallis, Samnitibus, Tarentinisque, & Pyrrho, & in Duces quoque clariſſimos, Camillos, Decios, Torquatos, Maximos, Curios, Fabricios, aliosque præterea, quorum nomina vel ſola illuſtrare quamvis narrationem poſſent; videreturque eo nobis gratior hæc Hiſtoria, quo nunc minus expleta habemus apud Noſtros quædam bella etiam ante primum Punicum illa-

illuſtria. Non eſt tamen exigenda ab hoc Auctore mera, breviterque expoſita Hiſtoria, quod nec ipſe profitetur, ſed eſt in eo diligentia ſane multa, & ars oratoria, magnoque artificio elaborata orationes, religionumque illius temporis explicatio accuratiſſima, documentaque, & exempla plurima, quæ eſſe poſſint civili Viro, militarique, ac religioſo utilia ſimul, & jucunda. Sed de iis erit legentibus ſuum cuique judicium, lausque, ſive ea magna, ſive parva penes Auctorem manet. Ego enim, *quod officii mei fuit, quidquid inveni, tranſtuli, ſatis (ut arbitror) fideliter: nec, ut ſum mihi ipſe viſus, obſcure, adnitens etiam, quantum permiſit tempus, quantumque paſſa eſt magnitudo operis, in latinitatem aliquam, ſane memor, cujus nomini dedicandum eſſet hoc Opus, ac quali, quantoque Principi, in quem profecto viſa eſt Divina munificentia, quidquid amplum, aut decorum ſit in hominibus, contuliſſe, ingenium ſupra naturam noſtram, divinos mores, virtutem, dotes corporis inſignes, interque cætera eam formæ dignitatem, quæ præ ſe quandam Pontificalem Majeſtatem ferat, videaturque ipſa per ſe reverentiam ab intuentibus exigere. Sed nec in cæteris viſa eſt eadem munificentia fuiſſe parcior; nam primum Patriam Tibi eam Urbem dedit, quam non modo primam Italiæ (quod eſſet magnum) ſed (quod bona cæterarum venia dixiſſe velim) primam Orbis appellari decet, ſive opes, magnificentiamque ſpectes Urbis illius vere liberæ, & quod inter cætera Te nominis Chriſtiani Principem delectare poſſit, conditæ a Chriſtianis, & ejusdem Chriſtianiſſimæ, ſive tantam quoque aliquis magnitudinem Imperii, diuturnitatemque intueri velit, ſive iſtud etiam conſiderare, quod ſi iſta non exuperat, æquat ſaltem, & ornat conſtitutio, decor, natioque, & perennitas illius Reipublicæ, adminiſtratæ per Optimates, Seniores, generoſos, & prudentiſſimos, ea ipſos continentia, eaque moderatione tuentes id Imperium, ac dirigentes, ut quisque gaudeat ſe in ea Urbe vivere, in qua æque omnibus juſtitia, ſecuritateque frui licet, nec id magis civibus, qui ſunt in ea multi, lautique, & ditiſſimi, quam peregrinis, qui, & ipſi non pauci, eam mercaturæ cauſa aut incolunt, aut frequentant. Sed quid eſſe dicet aliquis adeo inſigne poteſt in Urbe naſci, in qua ut in populoſiſſima naſcantur plurimi? Poteſt lucem etiam plurimis afferre illius Urbis claritas, ſed non affert eandem omnibus. Tu vero in ea natus es generoſiſſimus,*

Digitized by Google

ſiſſimus, eſtque æque pulchrum, magnificumque naſci aliquem Venetiis Nobilem, quam alibi naſci Principem, hincque etiam fortunatius, quod ii commodis fruentes Principum, carent iidem Principum periculis, qua equidem felicitate non video quid haberi poſſit in humanis majus. Quis enim principatus cauſa Venetum aliquem Nobilem, vi, aut dolo necatum vidit, aut domo pulſum, & mendicum? Es Tu igitur ex Familia editus inclyta Barborum, antiqua ea, & illuſtri, quam & Tu, Orbis univerſi decus, illuſtriſſimam nunc reddis. Sed quid tandem Tibi iſta præclara omnia pepererunt? Orbi toti venerabilem, maximumque omnium Principatum, quem Tu adeo ſuſtuliſti, ut incertum reddatur, utrum Tibi ille plus magnitudinis, an illi tua integritas plus honoris, auctoritatisque afferat: quippe cujus ſub Pontificatu Eccleſia dignitatem priſtinam reſumat, augetur in dies Imperium ſumma cum fide, ſumma cum juſtitia, ſapientiſſimeque adminiſtratum, floreantque denique ſub protectione tua omnia. Sed hæc eſſent longioris orationis, dabitur autem tempus aliquando dicendi de Te, locusque capacior. Nunc, cum libet, videre potes hunc Dionyſium mutata veſte, nec (ut ſcripſi) de rebus Latinis Græce nunc loquentem.

Ad calcem Voluminis iterum Lapus ſermonem convertit ad PAULUM in hunc modum.

Eſt converſum, SANCTISSIME PATER, *id omne, quod in ambobus tuis Codicibus Græcis repertum eſt, ſumque auſus in hac ultimi libri parte præter meam conſuetudinem aliquid haud equidem addens, aut detrahens, ſed in fragmentis confuſe ſcriptis, & præpoſtere in ambobus Codicibus mutans ordinem, non Authoris equidem hunc eſſe errorem putans, ſed Librariorum. Nam cum Decemviratum ſtatim primi Conſules ſequantur, Lucius Valerius Potitius, & Marcus Horatius Barbatus, quod cum ex aliis Hiſtoricis, tum ex hoc ipſo, & in hac parte videri poteſt, horum geſtis præpoſuerant Librarii Græci alia poſt geſta, atque duo non cohærentia inter ſe fragmenta in unum contulerant. Quod ego advertens (neque enim difficile animadverſu fuit) volui Authori ipſi hanc, quam poteram, opem parvulam apud Latinos ferre, quod & ipſorum fuiſſet puto pudori mihi, ni feciſſem, nec viſus eſſem tam perſpicuam rem vidiſſe. Tu me*

Digitized by Google

oro pro tua egregia animi nobilitate, magnificentiaque commendatum habe dedititiſſimum tibi Servulum.

Binos vetuſtos Codices, quibus ſecum a PAULO communicatis uſus eſt Lapus Biragus, haud parum æſtimans Fridericus Sylburgius in præclara, quam & ipſe vulgavit, Dionyſii Editione, ingenue faſſus eſt, Lapi Verſionem ſæpe ſibi ad veræ lectionis inveſtigationem viam pateſeciſſe.

SCRIPTORES VARII.

§. ULTIMUS.

Ut ſuſceptæ recenſioni finem tandem imponamus, hoc §. Scriptores reliquos complectemur, quos PAULI II. temporibus Romano prælo evulgatos Annales Typographici commemorant, eosque paucis perſtringemus, quum nullas Editorum Præfationes, ſeu Epiſtolas præferant, cujuſcemodi ineſſe vidimus Editionibus illis, quas Alerienſis Epiſcopus curavit, quæque fuſius de iiſdem Editionibus diſſerendi materiam nobis facile obviam in quolibet ſuperiori §. ſuppeditarunt.

Initium faciamus a duobus Græcæ Eccleſiæ Patribus, nimirum Athanaſio, & Chryſoſtomo. Athanaſii nomine Enarrationes in Epiſtolas S. Pauli Romæ an. 1469. vulgatas commemorat Maittaire ex Geſneri, Poſſevini, & Labbe teſtimonio, notatque eas ab iiſdem Theophylacto Bulgariæ Archiepiſcopo adſcribi. Negat vero fieri poſſe, ut ea Editio perfecta fuerit an. 1469. tempore Sixti IV. ut iidem produnt, utque recitatus ab ipſis titulus teſtatur, quum Sixtus IV. menſe Auguſti an. 1471. Cathedram Pontificiam obtinuerit. Idem Maittaire litem movet Fabricio, qui Bibl. Gr. Vol. VI. p. 288. earum Enarrationum Interpretem vocat Chriſtophorum *Perſonam*, contenditque *Porſenam*

Digitized by Google

ſcribendum eſſe, ut præfert laudatus titulus, utque ab Elſio, qui eundem inter Scriptores Ord. S. Auguſtini recenſet, appellatur. Nova ejusdem Operis Editio laudatur a Maittaire ad an. 1496. ibique notat forte numeros 1469. & 1496. facile a librariis inverſos, cauſam dediſſe, ut eadem vetuſtior, quam par eſſet, haberetur. Ita binis iis locis Maittaire ſententiam Proſperi Marchand, & verba allegans, nihilve de ſuo adjiciens. Ad manus habeo eorum Commentariorum Colonienſem an. 1532. editionem cum Epiſtola, cujus inſcriptio hæc eſt: *F. Chriſtophorus Porſena Romanus Prior S. Balbinæ Sixto IV. Pont. Max.* Titulus vero libri: *Theophylacti Archiepiſcopi Bulgariæ in omnes D. Pauli Epiſtolas Enarrationes diligenter recognitæ Chriſtophoro Porſena Romano Interprete.* Hic titulus probat, falli Fabricium laudato loco, dum affirmat Colonienſem Editionem ſub Athanaſii (Byzantini ſcilicet cujusdam Monachi, ut Sirletus, & Latinius exiſtimarunt) nomine Commentaria illa protuliſſe, & ſub Theophylacti nomine vulgata primum fuiſſe an. 1542. Pariſiis ex Joannis Loniceri interpretatione. Quod vero ſpectat ad *Perſonam*, ſeu *Porſenam*, nodum, ut puto, in ſcirpo quærit Maittaire, dum primum illud nomen pro genuino habet, rejicitque poſterius (ſſ) Contra prius illud multo frequentius, ne dicam

(ſſ) Calamus feſtinans hic anſam labendi dedit. Ipſa enim ſermonis ſeries exigit, ut ita legatur. *Quod ſpectat ad Perſonam ſeu Porſenam nodum, ut puto, in ſcirpo quærit MAITTAIRE* (vel potius *MARCHANDIUS*) *dum primum illud nomen rejicit, & poſterius pro genuino habet.* Ipſe Vir doctus ſemper ſe in ſcriptis ſuis PERSONAM nominat, ac ita quoque vocatur in Epitaphio. Copioſe &, uti ſolet, accurate de illo egit Apoſtolus ZENUS in *Giornale de Letterati d' Italia* Tom. XIX. p. 325. ſqq. conf. FABRICII Biblioth. mediæ & infimæ Latinitatis Tom. I. p. 1050. ſqq. Ornat Bibliothecam noſtram publicam rariſſima editio Origenis contra Celſum, ab eo in Latinum ſermonem traducti, cujus in calce hæc leguntur: *Origenis contra Celſum finis: quem Chriſtophorus PERSONA Romanus, Prior Sanctæ Balbinæ de Urbe, latinæ græceque peritiſſimus, cum fide e Græco traduxit & emendavit. Magiſter vero Georgius Herolt de Bamberga Romæ impreſſit. Anno incarna-*

Digitized by Google

cam unice, a doctis Viris uſurpatur, imo vero Elſius ipſe a Maittaire in teſtem laudatus, eodem modo ipſum effert, *Chriſtophorus* (inquit)

carnationis Domini milleſimo quadringenteſimo octogeſimo primo, menſe Januarii, regnante Sixto quarto Pontifice maximo, anno ejus decimo. Præter hunc MAITTAIRE nullum alium librum, in officina Heroldi excuſum, attulit. MABILLONIUS in Itinere Italico p. 419. hanc Originis editionem dignam cenſuit, quam inter rariſſimos Monaſterii Farfenſis libros commemoraret, tacito tamen interpretis nomine. MAITTAIRE Tom. I. Annal. typogr. p. 416. edit. II. ejus quidem mentionem facit, ſed ipſam non vidit; alias centenarios in ſubſcriptione omiſſos eſſe, haud aſſeruiſſet. Expreſſi enim utique ſunt in noſtro exemplari, ac in illo, quod ZENUS in promtu habuit. Præmiſſa eſt operi egregia epiſtola Theodori GAZÆ ad Chriſtoph. PERSONAM, huic valde honorifica, quam hic repetere operæ viſum eſt pretium.

„Theodorus GAZINUS Conſtantinopolitanus

„Chriſtophoro PERSONÆ S. P. D.

„Cum diebus hiſce ſuperioribus animo, ut ſoleo ſæpe, Latinos viros
„verſarem, qui græce ſcire aliquid viderentur, & græcos inſuper
„auctores, qui in latinum verti non mediocri cum laude poſſent;
„ipſe in primis oblatus es, quem unum novi ab ineunte adoleſcen-
„tia ſic græcas litteras imbibiſſe, &, quod plurimum juvit, in
„Græcia ipſa, & græcis ex præceptoribus, ut niſi te civem Roma-
„num ſcirem, & propinquos tuos primarios urbis viros ſat noſſem,
„dicturus facile ſim, ex Græcia te oriundum; nam & ipſa tua græ-
„ca pronunciatio græcum te præfert. Quorſum hæc? Vidi Chry-
„ſoſtomi Sermones non paucos, quos e græcis latinos feciſti, &
„Livanii (vel Libanii) meletas nonnullas, veluti majoribus rebus
„futura præludia. Vidi paulo poſt apud te Athanaſium tuum, cu-
„jus traditio ita me oblectavit, ut in ſpem bonam eo ex tempore
„venerim, poſſe te & Originem adverſus Celſum traducere. Quem
„librum, quia elegantiſſimus eſt, & in fidei chriſtianæ defenſionem
„conſcriptus, Nicolaus Pontifex, etſi de ſe erat novorum operum
„& græcorum præcipue cupientiſſimus, meo hortatu Conſtantino-
„polim miſit, qui ad ſe coemtum deferret: delatumque mox mi-

„hi

Perſona, Romanus, Xyſto IV. gratus, Procopium Latine eſt interpretatus, quædam etiam Origenis, Chryſoſtomi, Theophylacti, & Agathiæ Scholaſtici. Edidit quoque librum Epiſtolarum lectu non indignum.

Sancti Chryſoſtomi Homilias in Evangelium S. Joannis Romæ vulgatas Interprete Franciſco Aretino an. 1470. allegat Maittaire, & quidem *in Monaſterio S. Euſebii* per Georgium Laver, ut ipſe conjicit, quippe qui in eo Cœnobio prælum erexerat, quod conſtare affirmat ex rythmis appoſitis libro ſexto Decretalium an. 1472. per eundem Laver Romæ edito, quos recitat:

Studio correcta diligenti, ſepeque lecta
Per Celeſtinum nomine, ſed re pulverinum

Sancti

„hi dedit, dixitque velle ſe ei quidvis premii polliceri, qui latinum hunc faceret. Et ſane ipſe id opus aggreſſus eſſem acribens, niſi me tunc alia gravis traductio præoccupaſſet. Reſtat igitur adhuc liber iſte in Pontificis bibliotheca intactus, & ut arbitror, tibi ſervatus, ut ea cum dignitate, quam græce ſonat, vel ſaltem, proxima, latinum facias. Et ſpero fore pro tua utriusque linguæ ſingulari peritia, ut non minus laudis in hoc convertendo promerearis, quam auctor ipſe in edendo promeritus ſit. At dices, non eſſe illa expoſita præmia, quæ Nicolaum Pontificem narras propoſuiſſe, nec tales nunc principes, qui ejus veſtigia conſectentur. Cur ego tantum laboris inſumam? Nec ipſe quidem inficias eo. Quid ni? qui experientia doctus id auſim confirmare, nec Principes tales nunc eſſe, quales antehac extitere, nec ea laborum virtutumque præmia. Sed quis adeo ſive illiberalis, ſive ingratiſſimus Princeps, qui, ubi librum hunc iſti traductum dono retuleris, non te muneribus Principe dignis & magnis honoribus proſequatur? Aggredere ergo id opus, & pro ejus ut dignitate abſolvas, continenter incumbe. Age Romanum virum, & animo ingenti difficultates omnes pervade. Eſt quidem hoc, fateor, interpretatu difficile: ſed eo plus laudis conſequeris, quo rem non facilem aggreſſus videbere. Vale.

Digitized by Google

Sancto in Euſebio degentem Cenobio,
Qui me ſcribebat, Ge. Laver nomen habebat,
Romæ verſatus tunc, ſed Herbipoli natus.
Anno milleno quater C. Sep. que deno
Bis uno juncto, ſed menſe ſub Februo
Sub quarto Sixto Pontifice Zeraphico.

Non *ſep* ſed *ſex* legendum erit, ut annus 1472. ei Editioni reſpondeat; nam alias reſponderet annus 1482. quem pariter Sixti tempora attigerunt.

De pluribus libris per Udalricum Gallum Romæ impreſſis Pontifice PAULO II. ſuis locis dictum eſt. Illis modo addimus Juſtini Epitomen Trogi, Servii Commentarios in Virgilium, Roderici Sancii compendioſam Hiſpanicam Hiſtoriam, quibus omnibus & locus, & Typographus, *Roma* ſcilicet, & *Uldricus*, apponitur, non ita vero Plutarchi Vitis Latine, quam tamen Editionem tribus illis conjungit Maittaire, propterea quod Campani, qui Romæ Uldrici typis præerat, Epiſtolam præferat ad Cardinalem Piccolomineum. Addimus etiam Cardinalis S. Sixti Expoſitionem brevem ſuper toto Pſalterio an. 1470. vulgatam, Juvenalis, & Flacci Perſii Satyras, absque anni indicio, Laurentii Vallæ de Elegantia Latinæ linguæ an. 1471. in Pinia regione. Has omnes Editiones Uldrico Gallo tribuit Mattaire, & quidem PAULI II. temporibus, præter alias, ut diximus, ſuis locis recenſitas. Orationem autem Dionis Chryſoſtomi de Regno, Franciſco Piccolomineo Interprete, licet ea nullam habeat loci, Typographi, annive notationem, figit an. 1469. ea de cauſa, quod Epiſtola Franciſci Piccolominei eidem præfixa data viſatur *ex Urbe Kal. Januar. Ann. MCCCC. ſexageſimo nono.* Anno vero proxime ſubſequenti, Ruffini Opera ex Labb. Nov. Biblioth. & Hiſtoriam Novi Orbis ex Sauberto, nec non Illuſtrium Virorum Epiſtolas per Svveinheim, & Pannarz ex Wittian. Catalog. & an. 1471. Terentium Varronem de Lingua Latina ex emendatione Platinæ, Eutropium Hiſtoriographum, & Paulum Diaconum in unum librum omnes compactos; isque, ut ibi legitur, *impreſſus*

Digitized by Google

impreſſus anno MCCCCLXXI. die Lunæ xx. menſis Maji Pontificatus Sancti in Chriſto Patris, ac Domini PAULI PAPÆ SECUNDI *anno ejus ſeptimo.*

Poſtremum ſervavimus locum tribus Tractatibus Franciſci Savonenſis, Cardinalis S. Petri ad Vincula, quos ad manus habemus, & quorum Præfationes illico recitamus. Eos tamen non anno 1470. ſed 1473. editos fuiſſe monet Maittaire in Notis ex Catalog. Barber. (*tt*) Hoc ipſum confidentius affirmare nos poſſumus, ipſomet Barberinæ Bibliothecæ Codice inſpecto, qui hanc notam præfert, *MCCCCLXXIII. Pontificis Maximi Sixti IV. anno ejus ſecundo.* Ita ad calcem tertii Tractatus, cujus Præfatio authorem habet Typographum Joannem Philippum de Lignamine, Meſſanenſem, de quo alibi dictum eſt.

PAULO SECUNDO VENETO PONTIFICI MAXIMO *F. tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. Presb. Card. de Sanguine Chriſti Præfatio incipit.*

C*um de Sanguine Chriſti,* BEATISSIME PATER, *inter eruditos quoſdam contentio orta eſſet, eaque ob rei magnitudinem difficilis, & periculoſa videretur, fuit inſtituti mei, hoc onus ſuſcipere, ut quid de precioſo ſanguine illo ſentirem, pro ingenii mei facultate differerem. Quod eo feci libentius, quia ab antiquis illis, qui multa de fide copioſiſſima tradiderunt, parum in hanc materiam diſputatum eſt. Quod opus,* BEATISSIME PATER, *Sanctitati Tuæ dedicandum eſſe duxi, tanquam Principi Chriſtianæ Religionis, ad quem pertinet de rebus ſacris judicare.* *Qui*

(*tt*) Duplex editio tractatus de ſanguine Chriſti ex officina Friderici Creuſneri Norimbergæ A. 1473. & 1474. in fol. min. prodiit, teſte Clar. Jo. Paulo ROEDERO in Catalogo librorum, qui ſæc. XV. Norimbergæ impreſſi ſunt, p. 4. & 5. Prior cum tractatu de potentia Dei exſtat in Bibliotheca Heilsbronnenſi, uti ex ejus Catalogo, a Jo. Lud. *Hockero* in lucem emiſſo, f. 162. apparet.

Digitized by Google

Quamobrem leges Tu quidem opuſculum hoc, cum ab arduis, & maximis occupationibus tuis otium erit, ea lege ut tuo arbitrio corrigas. Nihil enim felicius mihi poterit evenire, quam ſi excellenti, & divino illo SANCTITATIS TUÆ *judicio emendatum, atque illuſtratum fuerit, cujus ſacratiſſimis pedibus humiliter me commendo.*

AD PAULUM PAPAM SECUNDUM *Incipit Tractatus de Dei potentia compilatus per F. Cardinalem S. Petri ad Vinc.*

Q*uia plerique ſunt hac noſtra tempeſtate,* BEATISSIME, *ac* SANCTISSIME PATER, *qui infinitam Dei potentiam contra ipſius dignitatem, ſimul & immenſitatem certis frivolis rationibus arctare contendunt, easque ſub certa, determinataque menſura concludere non formidant, aſſerentes, Deum omnipotentem nec Judam, neque aliquem blaſphemum poſſe ſalvare, ſimiliter neque Petrum, aut ſalvatorum quempiam damnare; & cum multi Doctores Theologi, & quidem clariſſimi, oppoſitum rationabiliter aſſeverent, non verentur illos hæreticos, de ſuoque ingenio nimium præſumentes, appellare. Quorum opinioni obviare cupientes, ac Dei omnipotentiam, ut tenemur, extollere, & amplificare, & denique Doctores illos clariſſimos in ſua opinione tueri, præmittemus aliqua eorum fundamenta, ex quibus veritas ſuarum concluſionum apparebit, ſimul & levitas rationum illarum, quæ contra ipſos per eorum adverſarios communiter adducuntur.*

AD SIXTUM PAPAM QUARTUM *Incipit Tractatus de Futuris contingentibus compilatus per F. Cardinalem S. Petri ad Vincula.*

F*eceram,* SANCTISSIME PATER, *Tuæ Sanctitatis de Sanguine Chriſti, & de potentia Dei libellos fere trecentos impreſſorio artificio inſcribi, quibus multos Viros dignitate, & ſcientia inſignes donavi, ut*

Digitized by Google

per omnem Orbem TUÆ SANCTITATIS *laudes diffunderem: & hi, ad quos tui ingenii, & doctrinæ præſtantiam fama detuliſſet, in ipſis quoque* TUÆ SANCTITATIS *ſcriptis inſpicerent. Id autem cum doctis fere omnibus gratiſſimum cognoverim ob preclaram illorum doctrinam, Tibi vero non injucundum me feciſſe ſim arbitratus, hunc alium* TUÆ SANCTITATIS *de futuris contingentibus libellum, peritiſſimorum Virorum vocibus ſumme laudatum, veluti ſingulari refertum doctrina, & ſapientia formare ſtatui, ut ſubtiliſſimum ingenium tuum, admirabilemque doctrinam mea hac impreſſoria arte, quod in tua virtute effeciſti, ſempiternæ memoriæ donarem. Quod eo libentius feci, quod non ſicuti multi, futura contingentia neque vera, neque falſa, ſed aut vera, aut falſa eſſe crediderim;* TUÆ BEATITUDINIS *ſententiam imitatus. Id autem tunc certius credam, cum aliquod contingens beneficium futurum eſſe, & mihi concedi* TUA SANCTITAS *determinabit. Vale feliciſſime,* PATER BEATISSIME, *& Joannem Philippum de Lignamine Meſſanenſem* TUÆ SANCTITATIS *ſervum fideliſſimum commendatum ſuſcipe.*

De Theologicis quæſtionibus, quæ tribus hiſce Tractatibus argumentum præbent, non eſſet hujus loci, ſeu noſtri inſtituti verba facere, niſi, ut aliquid de prima dicamus, vehementes contentiones, Barcinone primum ſub Clemente VI. inter Fratres Prædicatores, & Minoritas exortæ, Brixiæ ob eandem iis ipſis temporibus, quibus Cardinalis Savonenſis, Sixtus poſtea Quartus, ſcribebat, recrudeſcentes nos quodammodo invitarent. Agebatur de Sanguine Chriſti in paſſione fuſo, quem fuiſſe a Divinitate ſeparatum, ac proinde cultu latriæ mimime adorandum affirmaverat in concione Brixiæ habita ſummo mane die Reſurrectionis Dominicæ ad populum ejus urbis B. Jacobus de Marchia. Die autem Lunæ ſequenti frater Baptiſta Ordinis Prædicatorum ex ſuggeſtu magno ardore contrarium docuit, atque magni inde orti rumores in populo; quos ut ſedaret Jacobus Brixienſis, Ordinis Prædicatorum, pravitatis hæreticæ Inquiſitor in Lombardia, & Ripuaria Januenſi, per literas Jacobum rogavit, ut opinionis male intellectæ velamen ab oculis ignaræ gentis auferret. Hic tamen ex roſtris die Martis ingenti fervore dixit, omnia ſe toleraturum æquanimiter, præter

ter unam objectæ hæreſis, aut erroris injuriam, unde Inquiſitor acriter commotus, omnemque exerens poteſtatem, peremptorium citationis Decretum Jacobo transmiſit, quod poſtea, ceu parum cautum, a Maripetro loci Antiſtite, conciliandæ paci ſuam operam interponente, paſſus eſt lacerari in nobili conſeſſu doctorum, & graviſſimorum Virorum, quibus etiam teſtibus ab eodem Epiſcopo dictum fuit, utramque ſententiam impune, & Catholice poſſe prædicari, donec placeret Sedi Apoſtolicæ, quid tenendum eſſet definire. Hæc omnia publicis inſtrumentis, quorum pleraque ex Brixienſis Curiæ officina prodierunt, confirmata reperiuntur in Annalib. Luc. Wadingi Tom. XIII. ibidemque præterea narratur, & falſo affictum beato Jacobo fuiſſe, ut vel ab ipſo corpore in paſſionis triduo ſeparatam Deitatem dixerit, quod Pio II. Romano Pontifici relatum, eundem in Jacobum commoverit, donec detecta impoſitura idem Pontifex Jacobi innocentiæ teſtimonium perhibuit; & aliam quoque calumniam in eundem Jacobum ſparſam, quod videlicet contra Religioſos ſancti Dominici populum Brixienſem irritaſſet, multoſque interemptum iri, niſi malum opportune averteretur, quam illico ſuo teſtimonio exſuflavit idem Epiſcopus, cujus pariter de hac re literas recitat Wadingus, iiſque alias ſubdit Pii Pontificis Jacobo prorſus favorabiles, & honorificas datas die XXV. Septembr. MCCCCLXII. quum jam Brixia in patriam fuiſſet profectus.

Atque hæc pro tota Appendice iſta jam ſatis, cujus magnam partem, ut & reliquum Opus, in Pontificiorum Comitiorum obſcuritate, & tenebris procreatam, forte liceret Vaticanas Noctes (verbo, Atticas Auli Gellii Noctes in mentem revocanti, abſit invidia) appellare. Qui autem lucubrationi huic noſtræ finem imponit, dies eſt quadrageſimus (quem numerum ſacra Antiquitas auſpicatum magnopere habuit) a Comitiis illis fauſto prorſus exitu abſolutis, nimirum BENEDICTO XIV. ad ſupremum Eccleſiæ Thronum evecto. At, Deus bone! quam mirum in modum? quam illi perſimilem, quo PAULI II. contigit electio, teſte Philelpho in Epiſt. ad eundem? *Ex illis vero* (inquit) *adminiſtrationibus tuis, integerrimisque operibus, eam es laudem, & fructum uberrimum conſecutus, quod ex tanto, & tam gravi, tamque præ-*

 claro

claro, & præpotenti, ac vario, Cardinalium cœtu, ipſe unus cum maximo omnium, & alacri admodum conſenſu, declaratus es dignus, qui in tantis rerum omnium turbationibus, & periculis, univerſam Chriſti religionem, quæ radicitus pene corruit, erigas, conſerves, alas, augeas, ſuſtineas, & incolumem reddas. Magna hæc, & ſalutifera hodie ſperat Eccleſia a BENEDICTO XIV. quem omnes intelligunt ex illis ipſis adminiſtrationibus, quas per quadraginta circiter annos in Romana Curia ſapientiſſime, atque integerrime geſſit, eum eſſe fructum conſecuturum, ut doctos quidem, atque peritos Viros pro rerum natura, vel magnitudine in conſilium adhibens (ut Romanorum Pontificum mos eſt) nemini tamen ſe addicere neceſſe habeat; quod ipſum de PAULO II. idem Philelphus ſcribebat. *Ad hæc num ſe is cuiquam debebat tanquam addicere, QUI BONORUM OMNIUM, SAPIENTUMQUE JUDICIO PRÆLATUS OMNIBUS ESSET AD SUMMUM PONTIFICATUM*, quique (ut verba pariter Philelphi uſurpem) *CUM VITAM ETIAM PRIVATAM AGERET, MAGNAM DE SESE OPINIONEM PRÆBUIT, ET PROBITATIS, ET CONTINENTIÆ, AC PERFECTÆ CUJUSDAM, ABSOLUTÆQUE VIRTUTIS.*

AD LECTOREM.

Pollicitus fueram Vindiciar. pag. LX. aliquam collationem hic ad calcem Operis inſtituere inter PAULI II. Vitam ex Angelicæ Bibliothecæ manuſcripto Codice a me primum evulgatam, & eam, quam Vaticanæ Bibliothecæ Codex, quo uſus eſt V. Cl. Ludovicus Muratorius. At ubi primum rei manum admovi, ita exiguum diligentiæ hujus futurum fructum intellexi, ut conſultius viſum ſit ab eo labore deſiſtere, & lectorem hoc loco rogare, ut Angelicæ Bibliothecæ textu, multo pleniori, quam ille Bibliothecæ Vaticanæ, velit eſſe contentus. Deinceps animo meo ſententia ſederat, Orationem de Italiæ Pace a PAULO II. an. 1468. ſancita, & in PAULI Vita pag. 82. memoratam, vice

vice illius collationis inſerere, qua de cauſa eandem ex manuſcripto Codice Otthoboniano exſcribendam curaveram; idque profecto effeciſſem, niſi ejusdem prolixitatem non ita huic loco aptam judicaſſem. De ea non Canenſius tantum pag. modo laudata, ſed Papienſis quoque binis Epiſtolis ad ipſum Dominicum Epiſcopum, in quarum una, *Scripſerunt multi* (inquit) *ad me de ſolemnitate a Pontifice celebrata die Dominicæ Aſcenſionis. Nemo autem ſine ſumma laude tuæ Poteſtatis, ob egregium ſermonem de Pace habitum, ita quidem eorum teſtimonio approbatum, ut nihil inſignius habuiſſe eam diem oſtendat.* Altera Epiſtola Papienſis, quum jam Dominici Oratio ad manus ſuas perveniſſet, *quaſi collectam* (inquit) *longo æſtu ſitim cuperem ſedare, ſic eam totam uno ſpiritu hauſi, plura agnoſcens, quam ad me eſſent perlata, & plus laudis colligens, quam fama tuliſſet.* Laudat poſtea ingreſſum Orationis mirum in modum ingenioſum, & reliquas omnes ejusdem partes, ac tandem elogium ſuum ita claudit: *Gratulor iterum tibi, talento tali a Domino credito, nec defoſſo a te, ſed ad uberrimam lucri rationem adhibito.* Dominicum de Dominicis, Epiſcopum Brixianum, inter ætatis ſuæ tam Oratores, quam Theologos, haud certe poſtremum locum meruiſſe, quamplura ejus Scripta (quæ ut ex pulvere, & ſitu eruantur, jam curamus) palam demonſtrant. Is ipſe (quod magis facit ad rem noſtram) Typographicæ etiam arti juvandæ diligenter incubuit, quod mihi innoteſcit ex Præfatione ab eodem appoſita Moralibus Beati Gregorii Papæ, quem librum inſpexi, *impreſſum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno a Nativ. Dom.* 1475.

Tandem adnotare placet in Vaticano Codice manuſcripto, quo plura Roderici Zamorenſis, ſuo loco memorati, Opera continentur, me dum ea evolverem, deprehendiſſe Opuſculum, cui titulus: *Ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Marcum Barbum tit. S. Marci Epiſcopum Vincentinum, Altercatio, ſive Diſputatio incipit de Pace, & Bello inter R. P. Rodericum, Epiſcopum Calaguritanum Hiſpanum, & B. Platinam, dum hic Pacem extollit, bellicisque exercitiis præfert; ille e contra militaria, & bellica arma laudat, a culpaque defendit, eaque Paci vitiorum nutrici anteponit.* Inſtituta eſt hæc Altercatio ad celebrandam Pacem illam

Digitized by Google

a PAULO firmatam, cujus, ut dicitur in ejus Altercationis Prologo, *mirificam laudem non ſatis arbitramur agnoſci poſſe, niſi armorum, & bellorum præconia, commoditas, ac neceſſitas recolantur.* Mirum eſt, Platinam PAULO ſemper infenſum, Pacis illius propugnandæ partes ſibi ſumpſiſſe, ac fateri in diſputationis ſuæ exitu apertis verbis, PAULUM II. PONT. MAX. *non ſine cauſa, viſis omnibus, ab armis diſcedere, quibus jam concitata erat Italia, ſaluberrimam pacem conſentientibus omnibus magna cum laude compoſuiſſe.*

MANTISSA EDITORIS.

Quum liber hic præli jam morderet carceres, delata eſt ad me Diſſertatio, hunc gerens titulum: *Obſervations ſur un Ouvrage intitulé* VINDICIÆ TYPOGRAPHICÆ *pour ſervir de ſuite au Traité De l' Origine & des Productions de l' Imprimerie primitive en taille de bois, par M.* FOURNIER LE JEUNE. *a Paris, de l' Imprimerie de J. Barbou.* M. D. CC. LX. in 8.

Has animadverſiones ipſi Ill. SCHOEPFLINO, cui oppoſitæ ſunt, excutiendas permitto. Nonnihil tamen ad Diatribæ meæ præliminaris Obſervationem III. de libris, qui typis ſculptis mobilibus excuſi ſunt, adſtruendam annotare viſum eſt.

Clar. FOURNIERIUS p. 8. & 21. ſq. typos minuſculos mobiles, e ligno ſculptos, præli vim ob fragilitatem ſuam ferre non poſſe cenſet. Haud inficior, nonnullos librorum l. c. enarratorum typis minutis eſſe exſcriptos, id quod præſertim de Franciſci PETRARCHÆ opere de remediis utriusque fortunæ ipſemet p. 20 profeſſus ſum. Sed ego provide cavi, ne ullum eorum librorum typis E LIGNO (*) ſculptis impreſſum

(*) Excipio Biblia Latina, a Guttenbergio typis hujusmodi exſcripta, quod extra dubium poſitum eſſe arbitror. De Jacobi Carthuſienſis Sermonibus idem ſupra p. 22. SCHWARZIUS aſſeruit.

Digitized by Google

preſſum eſſe aſſererem, certi quid definite non auſus. Sculptis tamen, non fuſis, characteribus illos eſſe excuſos, inde liquido apparere exiſtimo, quia nulla facile litera, in una eademque pagina occurſitans, ſibi omni ex parte ſimilis eſt, quales eſſe typi fuſiles ſolent, utpote ex una matrice prognati: quod ipſa etiam ſpecimina, ab artifice ſumma cura & dexteritate ex archetypis æri inciſa, ſatis demonſtrant.

Licet enim neque artem fuſoriam, neque typographicam didicerim, oculorum tamen judicio dignoſcere me poſſe ſentio, an literæ ſibi ſint plane ſimiles, vel non nihil diverſæ: an igitur ſingulatim ſculptæ, aut ex una matrice fuſæ. Typos autem mobiles ex ære ſculptos, etſi minutiſſimos, præli vim ſuſtinere poſſe hinc colligo, quod non pauci libri typis fuſilibus minutiſſimis impreſſi exſtant (†). Utrorumque vero parem in eo eſſe rationem nemo facile diffitebitur.

Porro incredibile Cl. FOURNIERIO videtur, matricibus Moguntiæ inventis, cum poſt diſperſionem operariorum An. 1462. factam typorum fuſilium uſus in alias regiones & urbes illatus eſſet, librique illis Romæ jam A. 1467. (**) Lutetiæ autem Pariſiorum & Venetiis Anno 1469. imprimi ſolerent, typos ex ligno ſingulatim formatos adhuc An. 1470.

(†) Typis ſane, in laudato PETRARCHÆ opere uſurpatis, quos minutulos dixi, minores, atque adeo vere minutuli ſunt illi, quibus Fauſtus & Schoefferus Durandi Rationale A. 1459. Officia & Paradoxa Ciceronis A. 1465. & 1466. Auguſtini libellum de veræ vitæ cognitione ſine temporis indicio, ac Schoefferus ſolus Thomæ Aquinatis Primam ſecundæ partis Summæ theologicæ A. 1471. excuderunt, quos libros omnes iisdem minoris, imo minimi fere moduli typis impreſſos eſſe, ipſa me illorum luſtratio edocuit.

(**) Imo anno jam 1465. Lactantium in Monaſterio Sublacenſi typis fuſilibus, iisque ſatis elegantibus, excuſum eſſe, hodie inter omnes conſtat.

Digitized by Google

1470. ac deinceps fuiſſe uſurpatos, quam ſententiam haud dubie etiam de typis ex ære ſculptis fovet.

Sed dedimus nos ſpecimina librorum hujusmodi characteribus in Villa Beronenſi, Coloniæ, Spiræ, & Ulmæ An. 1470. & ſequentibus excuſorum æri inciſa.

Præſertim vero, ſi de cæteris dubium fortaſſis enaſcatur, MAMMOTRECTUS ille, in Villa Beronenſi An. 1470. impreſſus, (††) luculentiſſimum hujusce rei præbet teſtimonium, cujus archetypum, ſi ectypum illi forſan ſuſpectum ſit, ut ipſe Vir doctiſſimus ſagacibus contempletur oculis, velim. Quis enim Lutetiæ Pariſiorum in tanta rariſſimorum librorum abundantia eam editionem fruſtra quæri ſibi perſuadeat?

Sed in promtu etiam ſunt ipſorum typographorum Argentinenſium hanc in rem teſtimonia, a Cel. Schœpflino non recitata, quæ in medium hic proferre operæ pretium eſſe duco. I. „ Speculum judiciale „ DURANTI, non calamo, ut priſci quidem, nec penne tractu, „ quo ipſi fruimur, verum EXSCULPTIS ERE LITTERIS, divino „ ſuggeſta ſpiramine imprimendi arte trans pictum --- in celebri Argentinorum urbe, factoribus Jeorio HUSNER, & Joh. BECKENHUB, „ Clerico Moguntino (cujus, MAITTAIRIO etiam ignoti, inter typographos Argentinenſes haud meminit SCHOEPFLINUS) 1473.

(††) Supra p. 26. hanc *Mammotrecti* editionem plenam eſſe dixi vocum ac ſyllabarum abbreviationibus, quas vocant, atque adeo lectu non facilem: nunc obſervo, finalem hujus libri ſubſcriptionem, quam æri incidendam curavi, illis plane carere, ſi unicam, eamque ſatis familiarem, excipiam.

Digitized by Google

„ 1473. (***) II. Joannis NYDER, S. Pag. Doct. Ord. Præd. Conventua-
„ lis Nurembergenſis Præceptorium (divinæ legis) præclariſſimum opus,
„ quodam dignæ admirationis modo, non pennis, ut priſci quidem,
„ ſed LITTERIS SCULPTIS, artificiali certe conatu, remota nempe
„ indagine, ingeniique diverſa inquietatione illuſtre figuratum, ac-
„ curate denique correctum per providum Jeorium Huſner civem ur-
„ bis famoſæ Argentinenſis completum & terminatum eſt. Idus Fe-
bruarii 1476. (****)

Neutrum vero meis me conſpexiſſe oculis, ingenue fateor.

Scilicet operarii A. 1462. Moguntia ex Fauſti & Schœfferi offi-cina aliorſum dilapſi, artem typos ex matricibus fundendi, quantum fieri poterat, alios celarunt, atque adeo diſcipuli Guttenbergiani, con-troverſia inter Fauſtum & herum ſuum A. 1455. infeliciter terminata, Moguntia in alias urbes ante matrices a Schœffero inventas digreſſi, typis primum e ligno, deinde ex aere ſculptis ſolutilibus tamdiu uti neceſſum habebant, donec tandem artem iſtam, ſecreto ab illis habi-tam, & ipſi aſſequerentur: nec enim improbabilia eſſe, quæ ſupra p. 19. & 35. dixi, arbitror.

Quod ſupereſt, adhuc moneo, in Apocalypſeos capitis ultimi verſicu-lis prioribus, quos ex principe Latin. Bibliorum editione ſpeciminis gratia in æs incidendos curavi, literam E initialem manu Miniculatoris rubro colore appictam eſſe, ac v. 5. lin. 13. *vox* pro *nox* errore primi typographi, non ſculptoris noſtri legi, præterea circellum dimidiatum,

(***) Vid. V. C. Andr. Sam. GESNERI Programma de memorabilibus Bib-liothecæ Rotenburg. inſertum BEYSCHLAGII quondam mei Syllogæ variorum Opuſculorum Tom. I. p. 753.

(****) vid. MAITTAIRE Annal. typogr. Tom. I. p. 369. edit. II. Hu-jus quidem libri bis meminit SCHOEPFLINUS p. 49. & 102. ſed ipſam hanc ſubſcriptionem finalem non attulit.

Digitized by Google

vocali *i* alias impoſitum, ob typos longo uſu non nihil detritos, opere jam ad finem vergente, interdum vel plane deeſſe, vel ejus tantum veſtigium apparere, nitorem vero illum atramenti typographici, in archetypo conſpicuum, in ectypo, etſi alioqui ſatis accurato, exprimi haud potuiſſe.

Cæterum peritum lectorem, qui cum noſtro ſpecimine contulerit illud, quod nuper Vir in rei literariæ notitia verſatiſſimus D. OELRICHIUS ex editione Bibliorum perantiqua & rariſſima, Bibliothecam Regiam Berolinenſem ornante, ligno inciſum exhibuit (*****), noſtræ editioni primas daturum, nullus dubito.

(*****) *in den Beyträgen zur Geſchichte und Litteratur* p. 301.

Digitized by Google

INDEX.

A.

Academia Romana. 165. Neapolitana. 166.
Adam typographus Venetus. 82.
Adami Januenſis Octaſtichon in naſutum Lactantii cenſorem. 78.
Alberti Magni Opus de Myſterio Miſſæ. 30.
Alcinous cum Apulejo Romæ primum editus. 210.
Andreæ, Jo. Epiſcopus Alerienſ. eruditus corrector in prima typographia Romana laudatus 48. 60. & paſſim, ejus epiſtolæ & præfationes in Lactantium. 79. Epiſtolas Ciceronis ad Atticum. 87. ejusdem Orationes. 92. Epiſtolas Hieronymi. 107. 112. S. Biblia. 123. Cyprianum. 128. Leonem M. 134. Julium Cæſarem. 146. T. Livium. 150. Virgilium. 162. Ovidium. 169. Lucanum. 171. Plinium. 179. Quintilianum. 185. Suetonium. 191. Aulum Gellium. 196. Apulejum & Alcinoum. 211. Strabonem. 223.
Andreæ Jo. Bonon. JCtus cum Epiſcopo Alerienſi confuſus. 116.
Antonius Raudenſis inſipidus Lactantii cenſor. 78.
Apuleji editio princeps. 209.
Argentorati typographia tentata, non inventa. 7. ibi duo circiter luſtra transegit Guttenbergius. 6. 14. liber primus ibidem cum anni nota impreſſus. 45.
Argentinenſes priſci typographi nunquam laudem ſibi inventæ artis vindicarunt. 11.
Ariſteæ libellus de LXX. Interpretibus. 123.
Auguſtini liber de vita chriſtiana. 37. de veræ vitæ cognitione. 38. de ſingularitate Clericorum. 71. Opus de Civitate Dei. 101. 177.
Auſonii verſus in commendationem Suetonii. 192.

B.

Bæmler Jo. typographus Auguſtanus. 32.
Barbari Franciſci epiſtola. 188.

Digitized by Google

Barbari Hieronymi laus. 184.
Baur Ehr. Chriſtoph. 28.
Bernæ Mammotrectus fortaſſis excuſus. 27.
Beſſarion Card. laudatus. 209. 211. ejus Libri V. adverſus calumniatorem Platonis. 227.
Biblia MSS. quanto pretio venierint ante inventam typographiam. 104.
Biblia Menteliana. 45.
Bibliorum Lat. prima editio ubi aſſervetur. 61. primatus ejus defenſus. 62. Specimina quarundam ejus lectionum. 64.
Bibliorum Lat. prima editio Romana. 123. editiones A. 1473. & 1475. 63.
Bibliotheca biblica Ducis Brunſvic. viduæ laudatæ. 61.
Bibliotheca Haſſenſteinii inſignis. 105. triſtia ejus fata. 106.
Bibliotheca Memmingenſis a quonam fundata. 21. priſcis editionibus egregie inſtructa. 33.
Biragus Lapus laudatus. 181. 183. 224. ejus præfatio in Dionyſium Halicarnaſſ. 247.
Breviarium Auguſtanum. 32.
Bruckerus Jac. laudatus. 228.
Buchkinck Arnoldus. 245.
Bünemannus Jo. Ludolph. notatus. 62. laudatus. 85.

C.

Cæſaris Julii editio princeps. 146.
Calderinus Domitius. 241.
Calpurnii Julii editio princeps. 174.
Cammer Gerichts Ordnung. 39.
Campanus Jo. Ant. vitas Plutarchi Udalrico Gallo excudendas ſubminiſtravit. 57. editioni autem non præfuit. 58. quam operam præſtiterit Udalrico Gallo. 89. ejus epiſtola Suetonio prapoſita. 194.
Catalogus librorum a C. Schweinheim & A. Pannarz excuſorum. 231.
Catholicon MS. quam rarum & carum ante inventam typographiam. 106. Moguntina ejus editio. 54.
Chriſtgau laudatus. 27.
Ciceronis Officia. 23. 100. de finibus bonorum & malorum. 24. Epiſtolæ familiares. 86. 97. ad Atticum 87. alia opera. 89.
Colonienſe vetus Chronicon defenſum. 44. 71. laudatum. 46.

Colo-

Digitized by Google

Colonienſis primus typographus Ulr. Zellius. 43. 71.
Compendium theologicæ veritatis. 28.
Corſinus Phil. 138.
Cuſanus Nic. Cardin. laudatus. 110. 218.
Cypriani Operum editio Romana. 128. Veneta. 132.

D.

Daretis Phrygii Hiſtoria Trojana. 24.
Decor puellarum falſo A. 1461. impreſſus eſſe traditur. 98. 100.
Dionyſius Halicarnaſſæus a Lapo Birago Latine redditus. 247.
Donatus, libellus grammaticus, Romæ excuſus. 233.
Donis Nic. Monachus Germanus. 239. ejus præfatio in Cl. Ptolemæum. ibid.
Dorniberg Thom. de Memmingen. 28.
Drach Petr. typographus Spirenſis. 40.
Durandi rationale divinorum Officiorum primus liber typis fuſis cum anni nota impreſſus. 17. alia vetus editio typis ſculptis mobilibus excuſa. 31.

E.

Eggeſteinius Henr. typographus Argent. 45.
Errores multi in annis editionis librorum commiſſi. 9. 98. 237.
Euſebii Epiſtola ad Damaſum. 22.
Exorciſmi literarii. 182.

F.

Fauſti Jo. lis cum Jo. Guttenbergio. 5. fallacia. 10. is nunquam ſibi laudem inventæ typographiæ tribuit. 11.
Fortunatus Pomponius an idem cum Pomponio Læto. 173.
Fournierii Animadverſiones in Schœpflini Vindicias Typographicas. 262.

G.

Gallus Udalr. ſecundus typographus Romanus. 55. Plutarchus ab eo mendoſe excuſus. 57.

Digitized by Google

Gaza Theod. laudatus. 111. 115. 180. 198. 208. 224. ejus epiſtola ad Chriſtoph. Perſonam. 253.
Gedalia Rabbi notatus. 123.
Gellii Auli editiones. 195.
Gerſon Jo. libri 23. 24. 33.
Gratiani Decretum. 45.
Gregorii Dialogi. 22.
Gronovius Jac. notatus. 195.
Guarinus Strabonis interpres. 223. 226.
Guilielmus Card. Rhotomag. Mæcenas Jo. Andreæ Ep. Aler. 198.
Guttenbergius Jo. primus typographiæ auctor. 5. 14. artem Argentorati tentavit 6. Moguntiæ invenit & perfecit. 7. res ad eum pertinentes. 14

H.

Harduinus Jo. laudatus & notatus. 176.
Hartliebii liber Germanicus. 33.
Haſſenſteinius Bohusl. Muſageta 105. ſiniſtra inſignis ejus bibliothecæ fata. 160.
Helijas Helijæ Canonicus & typographus. 26.
Helwici liber de exemplis & ſimilitudinibus rerum. 47.
Henrici Ariminenſ. Tractatus de IV. virtutibus cardinalibus. 28.
Herolt de Bamberga Ge. typographus Romanus. 252.
Heſiodi Latine redditi editio vetus Romana. 175.
Hieronymi Epiſtolæ. 102.
Hernentber typographus Colonienſis. 26. 33.
Horæ Canonicæ ſecundum chorum Eccleſiæ Auguſt. 32.

I.

Jacobi V. 13. memorabilis lectio in vetuſtis vulgatæ verſionis editionibus. 67.
Jacobi Carthuſienſ. libri. 21.
Jacobi Januenſis Lombardica hiſtoria. 20.
Jenſon Nic. typographus Venetus, ſed non primus. 98.
Impoſtores literarii. 47. 100.
Infortunatus Pomponius an idem cum Pomponio Læto. 173.
Innocentii III. liber de miſeria humanæ conditionis. 8. 24.
Jovius Paulus notatus. 190.
Jungen Zum domus, in qua typographia inventa. 16.

Digitized by Google

K.

Kœlhof de Lubeck Jo. typographus Colonienſis. 45.
Kælneri de Vanckel Jo. Summaria & Concluſiones Sexti Decretalium. 46. 72.

L.

Lactantii editio princeps Sublacenſis. 49. 73. Veneta. 82. aliæ. 80. 85. Codex MS. princeps. 85. alii Codices. ibid. cenſor ineptus. 78.
Lætus Pomponius. 165. an cum Pomponio Infortunato, Julio Pomponio Fortunato ſit unus idemque. 172.
Lambecius Petr. notatus. 195.
Lancelotus vitam Philelphi ſcripſit. 59.
Lapus Biragus laudatus. 183.
Laur Ge. typographus Romanus. 121.
Leibnitius laudatus. 13.
Leonis M. Operum editio princeps. 133.
Liber primus impreſſus Moguntiæ. 9. in Italia. 73. Romæ. 49. Venetiis, 97.
Libri Germanici typis ſculptis mobilibus excuſi. 33.
Libri Latini typis ſculptis mobilibus excuſi. 19.
Libri MSS. quam cari ante inventam typographiam. 104.
Livii editio princeps. 148.
Livius MS. quanti emtus. 104.
Lombardica hiſtoria Jacobi Januenſis. 20.
Lomejerus Jo. notatus. 190.
Lucani editio princeps. 171.

M.

Maittaire Mich. notatus. 34. 206.
Mammotrectus. 26.
Matricum inventarum Epocha. 17.
Maximis de Petr. & Franciſcus Mæcenates primorum Romæ typographorum. 51.
Meermannus Ger. laudatus. 71.
Menteliana Biblia. 45.

Mey-

Meydenbach Jac. typographus Moguntinus. 12.
Miete de Caprariis Petrus primus Bibliothecæ Memmingenſis ſtator. 21.
Miſſale Eccleſiæ Miſenenſis. 39. Mogunt. 40. Auguſt. 42.
Moguntiæ ars typographica inventa. 5. ibi in prima typographia impreſſi libri. 36.
Montfauconius Bern. notatus. 85. 101. 190.
Monnoye de la Bern. diſſertatio de rebus ad Pomponium Lætum pertinentibus. 173.

N.

Nicolai V. laus. 223. Mæcenas munificentiſſimus. 236. 258.

O.

Obſequiale Auguſtanum. 41. 42.
Origenis contra Celſum editio Romana. 252.
Ovidii editio Romana. 169.

P.

Palazzi di Roma. 51.
Palmerii Matthiæ præfatio in Ariſteam. 126.
Pannarz Arn. primus typographus Romanus. 48. vid *Schweinheim.* libri ab eo ſolo excuſi. 233. diverſus ab Arnoldo Buchkinck. 246.
Panormita Ant. quanti Livium M. emerit. 104.
Paulus II. paſſim a Jo. Andreæ Ep. Alep. laudatus in epiſtolis nuncupatoriis. vid. ſupra in *Andreæ Jo.* ejus mors. 225.
Perſona Chriſtoph. 252. Originis contra Celſum interpres. 252. ad eum epiſtola Theodori Gazæ. 253.
Petrarchæ liber de remediis utriusque fortunæ 20. laus. 154. beneficium in literariam remp. collatum. 89.
Philelphus Franc. 59. 78. 159. 226. 236.
Pii II. laus. 180.
Plato Græcus MS. quanto pretio emtus 105. Platonis laudes. 211. 217. ejus defenſio adverſus calumniatorem Ge. Trapezuntium. 227.

Plinii

Digitized by Google

Plinii Majoris editio princeps Veneta. 177. Romana. 178. Veronenſis. ibid. Veneta Nic. Jenſonii ibid.
Plutarchi Latine redditi editio princeps. 57. vitiis deturpata. 58. Codex MS. quanti vendi ſolitus ante inventam tygographiam. 105.
Poggius in Monaſterio S. Galli Quintilianum aliosque priſcos auctores invenit. 187. illius in hac expeditione ſocii 189.
Pomponius Lætus Academiæ Rom. princeps. 165. an unus idemqne cum Pomponio Fortunato & Infortunato fuerit. 173.
Pontonus. Jo. vel Jovianus Academiæ Neapolitanæ princeps 166.
Pſalterium Davidis in quanam Bibliorum editione CLXXI. Pſalmis conſtet. 64.
Pſalterium Moguntiæ impreſſum. 36. Lipſiæ typis miſſalibus. 43.
Ptolemæi Cl. Geographiæ editiones veteres. 236. earum rariſſima. 245.

Q.

Quesnellus Paſch. notatus. 133.
Quinternionibus uſi primi typographi Romani. 54.
Quintiliani vett. Romanæ editiones. 184. Quintilianus cum aliis priſcis auctoribus a Poggio in Monaſterio S. Galli inventus. 187.
Quirinus Card. laudatus. 2. librorum ejus raritatis cauſa. ibid. liber ſingularis de libris in prima typographia Rcm. excuſis. 73. ejus dux in Græcis Latinisque literis. 89.

R.

Raidelii Commentatio de Cl. Ptolemæi Geographia. 238.
Rampigolli Ant. Aurea Biblia. 31.
Raritatis vett. editionum cauſæ. 229.
Ratdolt Erh. typographus Auguſtanus. 41. antea Venetus, ſed non primus. 98.
Rodericus Zamorenſis. 140. 261.
Rolevinkius Monachus Carthuſ. Colon. 13.
Romana Academia. 165.
Romani typographi primi. 48. 164. ſecundus. 55.
Romanus character a quo primum uſurpatus. 50.
Rufi Sexti, vel Feſti, Breviarium de victoriis & provinciis populi Rom. 59.

Digitized by Google

S.

Sabellicus M. A. notatus. 191.
Salvinus Jo. Maria Card. Quirini in Græcis Latiniſque literis dux. 89.
Sannazarius Jac. laudatus. 167.
Saxolus Pratenſis laudatus. 156. 169.
Schœpflinus laudatus. 6. notatus 34. 44. ejus ſententia de typographia Argentorati inventa in dubium vocatur. 7. in eum animadverſiones Fournierii. 262.
Schwarzius C. G. laudatus. 12. 22. 36. & paſſim notatus. 29.
Schweinheim Conr. primus typographus Romanus. 48. libri ab eo & ſocio Arn. Pannarz impreſſi in opere Card. Quirini recenſentur. 73. ſumma illorum librorum raritas. 50. 229. characteris Romani inventor. 50. infelix ejus & ſocii ſors. 52. Catalogus librorum ab eo & ſocio excuſorum 231. artis figurarum æneis tabulis exprimendarum inventor. 245.
Scrutinium Scripturarum Pauli de S. Maria. 21.
Senckenbergius L. Baro laudatus. 5.
Sifridi Epiſcopi Cirenſ. Determinatio duarum quæſtionum. 23.
Silii Italici editio princeps. 174. Silius a Poggio in Monaſt. S. Galli inventus. 176.
Sixti IV. Tract. de ſanguine Chriſti. 256.
Soloeciſmi literarii. 58. 222.
Spirenſis Jo. primus typographus Venetus. 97. Vindelinus ejus frater. 177.
Strabonis editio princeps. 191.
Sublacenſis Monaſterii deſcriptio. 74. libri in illo impreſſi 49.
Suetonii editio princeps. 191.

T.

Thomæ Aquinatis Quæſtiones de malo. 25. Tract. de periculis circa Sacram. Euchariſtiæ. 30. Catena in IV. Evangelia. 139.
Trapezuntius Ge. vituperatus. 224. Plato contra eum defenſus. 227.
Trithemius laudatus. 10. defenſus. 34.
Typographia Moguntiæ inventa. 5. Argentorati tentata. 7. ex typographia Moguntina duæ operariorum migrationes. 35.

U

U.

Udonis Epiſcopi vita. 24.
Vegetii Flav. *Kurze Red von der Ritterſchafft.* 34.
Veneti nominis gloria. 150.
Victorinus Feltrenſis laudatus. 155. 158.
Virgilii editiones veteres. 161.

W.

Wicelius Ge. Solœciſta literarius primi ordinis. 58.

Z.

Zainer Gunth. typographus Auguſtanus typis Romanis in Germania primum uſus. 30.
Zeiner Jo. typographus Ulmenſis. 30.
Zellius Ulr. primus typographus Colonienſis. 43. 71.

FINIS.

Digitized by Google

EMENDANDA.

Pag. 3. lin. 13. facientibus. p. 5. l. 24. Helmaſperger.
p. 9. l. 16. MARCHAND. p. 23. l. 24. uſura.
p. 26. l. 9. Helijam. p. 30. l. penult. Quintilianum.
p. 50. l. 6. Semigothico. p. 60. l. 23. FAERNO.
p. 75. l. 16. rupes. p. 116. l. 27. hunc.
p. 173. l. 12. vel ſimpliciter Pomponium, vel Pomponium Fortunatum appellat:
p. 245. l. 9. locupletiſſima. p. 246. l. 16. altera.
p. 247. l. 10. inſerantur poſt vocem *recitandam* verba: *exhibet. Hac in initio Paulum Pontificem laudibus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google